# PROPRIUM FESTIVITATUM

# B. MARIÆ V.

## FESTA SEPTEMBRIS.

### ANTIPHONÆ MAJORES

*dicendæ integræ ante et post cant.* Magnificat. *sicut in Dupl. in quolibet officio tempor. Expectat.*

*Die* 31. *Aug. ant.* O Aurora valdè rutilans manè absque nubibus! Quandò apparebis consurgens pulchra ut luna, electa ut sol? O Virgo formosissima! Veni jam, noli tardare, et ostende lumen tuum sedentibus in tenebris et in umbrâ mortis.

*Die* 1. *Sept. ant.* O Radius divinæ claritatis, candor lucis æternæ, splendidior sole lumineque pulchrior, Virgo MARIA! Noli tardare, citò veni, et illumina mentes nostras, ut oriatur in tenebris lux tua.

2. *Sept. ant.* O MARIA, mons excelsus Domini, præparatus in vertice montium, et sublimis super omnes colles! O mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, ad quem fluent omnes gentes, et ibunt multi populi! O mons de quo abscindetur lapis sine manibus! O Virgo sacra, veni jam et ostende te nobis.

3. *Sept. ant.* O ignis effulgens et inextinguibilis! Ignis inflammans et illuminans! Ignis divinæ charitatis, qui in utero lates beatissimæ Annæ! Veni, appare nobis et tuo felicissimo aspectu mentes nostræ illuminentur, et corda nostra in amore Dei accendantur.

4. *Sept. ant.* O Lux splendidissima, figurata per illam primariam lucem, de quâ creditur factum corpus solis, ex te enim formabitur sol justitiæ! Lux pulcherrima et serenissima, veni et accelera ortum tuum: ostende te nobis, tuâque solari facie tenebras, quibus involvimur, expelle, nostramque sepulchralem noctem in perpetuum dissipa.

5. *Sept. ant.* O Luna tota pulchra et sine maculâ, sempèr gratiâ et gloriâ plena! Luna perfecta in æternum! Luna splendidissima et candidissima! Veni, ne tardes, atque noctis tenebras discutiens, universum mundum tuo jubare illustra.

6. *Sept. ant.* O Stella Jacob fulgida, Stella nuntia lucis, Stella splendida et matutina! Veni, noli tardare: appare nobis, et per salutis viam deduc nos prævia ad diem supremum.

DIE I. SEPTEM.

### EXPECTATIO NATIVIT. B. M. V.

*Duplex majus.*

*Si hoc festum venerit in Dominicâ transfertur in diem sequent.*



### IN I. VESPERIS.

*Ant.* 1. Ecce tenebræ * operiunt terram, et caligo populos. *Psalmi de Feriâ occurrenti.*

2. Emarcuit cor meum, * tenebræ stupuerunt me.

3. Orietur * stella ex Jacob, et consurget virga de Israel.

4. Sicut aurora * consurgens illuminabit mundum: jam propè est, ut veniat.

5. Vade * et pone speculatorem, et quodcumque viderit, annuntiet.

CAPITULUM. *Isai.* 21. 11. Custos, quid de nocte? custos, quid de nocte? Dixit custos: venit mane et nox: si quæritis, quærite: convertimini et videte. ℟. Deo gratias.

HYMNUS 71. *Salla.*

Quæ gemis, primi soboles Parentis,
Orcino jamdiù chelidro subacta,
Diutinis demùm moderata, quæso,
Parce querelis.

En repromissi tibi plenitudo,
Quo truci illius ditioni adempta
Sub Dei miti spatiere sceptro,
Temporis instat.

Nil triumphato stygio draconi,
Quin dato ipsius capiti terendo,
Namque conceptu gravis urget Annæ
Partus ovalis.

Quo latet fœtu memorata quondàm
Ire contritum mulier superbum
Calce serpentem caput illi ineptè
Insidiantem.

Hæc Ave sumens, Gabriele misso
Cœlitùs, sartum dabit, atque tectum
Quidquid, audito Satanæ susurro,
Perdidit Eva.

Quod per erratum muliebre vicit
Hostis, exemptum muliebre fiet
Sic per oppugnans meritum, per artem
Arte repulsâ.

Sit decus summo sine fine Christo,
Sancta quem virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar Spiritui Sancto
Regnat in ævum. Amen.

℣. Ecce tenebræ operiunt terram.

℟. Et caligo populos.

*Ad Magnif. ant.* O. *p.* 302.

*Oratio de Laudibus.*

*Completorium ut in feriali officio.*

### AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* Reginam cœlorum expectantes: * Venite, adoremus Dominum. *Psalm. Invitar. p.* 1.

HYMNUS 72. *Coffin.*

Mortale cœlo tolle genus caput,
En noctis horror desit; en jubar
Nascentis auroræ propinquum
Admonuit properare solem.

Sacro tumentes germine jam polus
Terras amicis imbribus irrigat:
De stirpe Jesse virga surgit
Conspicuum paritura florem.

Cœlestis illum gratia Spiritûs
Innunget: illi justitia et fides,
Timorque castus, veritasque
Et pietas comitèr præibunt.

Hunc ergò, quem tot sæcula fidelibus
Votis anhelant, quem misero Deus
Promisit orbi, spem salutis,
Accelera, pia Virgo, fructum.

Sit Trinitati perpetuum decus,
Inflicta mundo quæ miserans mala,
In Matre pignus nascituri
Non dubium dat habere Christi.
Amen.

### IN I. NOCT.

*Ant.* 1. Quis det, * ut veniat petitio mea, et quod expecto tribuat mihi Deus? *Psalmi* de Feriâ.

2. Quale gaudium * mihi erit qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video!

3. Expectabant me * sicut pluviam, et os suum aperiebant, quasi ad imbrem serotinum.

℣. Visita nos, stella matutina.

℟. Oriens ex alto, Virgo MARIA.
Pater. *Absol.* Exaudi Dom. *Bened.* Benedictione.

De Isaiâ Prophetâ.

LECTIO 1. c. 14. 1.

Propè est ut veniat tempus ejus, et dies ejus non elongabuntur. Miserebitur enim Dominus Jacob, et eliget adhuc de Israel, et requiescere eos faciet super humum suam: adjungetur advena ad eos, et adhærebit domui Jacob. Et tenebunt eos populi, et adducent eos in locum suum: et possidebit eos domus Israel super terram Domini in servos et ancillas: et erunt capientes eos, qui se ceperant, et subjicient exactores suos. Tu autem, Domina nostra, intercede pro nobis. *Sic sempèr concluduntur Lectiones: et respondetur.* ℟. Deo gratias.

℟. Terra erit inanis et vacua, et tenebræ erunt super faciem abyssi, * Donec oriatur stella ex Jacob, et consurgat virga de Israel. ℣. Ecce tenebræ operient terram, et caligo populos.—Donec.

*Benedictio.* Primogenita.

LECTIO 2.

Et erit in die illâ: cum requiem dederit tibi Deus à labore tuo, et à concussione tuâ, et à servitute durâ, quâ ante servisti: sumes parabolam istam contra regem Babylonis, et dices: quomodò cessavit exactor, quievit tributum? Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cædentem populos in indignatione, plagâ insanabili subjicientem in furore gentes, persequentem crudelitèr. Tu.

℟. Surge, illuminare, Jerusalem, quia propè est lumen tuum: * Et orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies. ℣. Jam enim ascendit aurora.—Et orietur.

*Benedictio.* Spiritûs Sancti.

LECTIO 3.

Conquievit, et siluit omnis terra, gavisa est, et exultavit: abietes quoquè lætatæ sunt super te, et cedri Libani: ex quo dormisti, non ascendet, qui succidat nos. Infernus subtèr conturbatus est in occursum adventûs tui, suscitavit tibi gigantes. Omnes principes terræ surrexerunt de soliis suis, omnes principes nationum. Tu.

℟. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte * Et per omnes rivos Juda ibunt aquæ. ℣. In illâ die fons de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum.—Et per.—Gloria.—Et per.

IN II. NOCT.

1. Infernus subtèr * conturbatus est in occursum adventûs tui.

2. Ego autem * ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo, et dabo tibi arcana secretorum.

2. Propè est, * non elongabitur, et salus mea non morabitur.

℣. Consolabitur Dominus populum suum.

℟. Et pauperum suorum miserebitur.

Pater nost. *Absolutio.* Ipsius pietas. *Benedict.*. Dei Mater.

Sermo S. Isidori Arch. Thessalonicensis.

*Oratio in Nativ. B. V. M.*
*Apud Hipp. Marracc.*

LECTIO 4.

Terra, inquit Moyses, in principio nec videri poterat, nec erat ordine composita, et tenebræ super abissum erant, donec lucis creatio tenebras dissipavit. Ego verò etiàm post natos homines, et multorum vitam annorum, aliud genus tenebrarum effusum universo dixerim donec tu, purissima beata Virgo, lucidâ tuâ Nativitate effulsisti terræ; cujus splendor deorsùm quidem emicuit, sed creaturam superiorem et inferiorem luce suâ implevit. Tenebras porrò, et sepulcralem, ut ita dicam, vivendi rationem fugavit apparens Virgo. Ipsa igitur nobilioribus etiàm creaturis, et lucidis lucem infudit, ut qui attendunt quid illæ sint, perspiciant, nec ampliùs in erroris noctem labantur. Tu.

℟. Ad MARIAM, * Sicut ad medium terræ, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium omnium sæculorum, omnes respiciunt. ℣. Oculi omnium in te sperant, Domina, veni jam, noli tardare.—Sicut ad.

*Benedictio.* Filia Dei.

LECTIO 5.

Si quis attentè consideret, nullâ re creatâ indigebat, beata ut ipsa fieret: immò creatura omnis indigebat eâ, ut crearetur, et ornatu perficeretur, reductio enim creaturarum in meliorem statum procul dubio causam habuit ipsam Virginem; quæ si futura non fuisset, non cogitasset Opifex de producendis planè creaturis. Itaque priùs creatæ res propter ipsam conditæ sunt, erantque res productæ mirum in modum indigentes ad sui productionem eâ quæ producenda erat, et sola novum in modum suos antepeperit parentes. Adeò Virgo eorum qui ante vixerunt, nullius indiga fuit, et simile nihil illi est simile cum omnibus rebus Tu.

℟. Omnia te expectant, Domina, * Expectatio desiderata generis humani. Quandò venies et liberabis populum tuum? ℣. In manibus tuis repossita est nostra salus.—Expectatio.

*Benedictio* Ignem divini.

LECTIO 6.

Anna verò veneranda Parens Natâ suâ indigebat ut generans regeneraretur, et dum gereret uterum, ipsa novum in modum generabatur. Neque solum ipsa, quæ genitrix fuit, sed proavi quoquè eâdem opus habebant, veluti matre quâ formarentur ad formam, et non caducam creationem, cum pulvis esset, et vi ventorum egeretur. Nec solus Adam, sed ingens ex eo natorum numerus usque ad sacratissimam hanc puellam, quasi suas quisque matres rejecisset, ut imperfectas, et enixè hanc communem matrem omnium perfectricem, et lucis datricem requirebant. Quarè ventre materno continebantur, et formabantur: tumque reverà luce editi sunt, quandò nata ipsa Salvatorem quoquè meum novo ex se protulit modo. Tu.

℟. Beati omnes qui expectant eam quia non confundentur: * Veniens veniet, et non tardabit: veniet, et salvabit nos. ℣. In illâ die stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte.—Veniens.—Gloria.—Veniens.

IN III. NOCT.

*Ant.* 1. Si moram fecerit, * expecta illam; quia veniens veniet et non tardabit.

2. Veniens veniet * et non tardabit: propè enim est, ut veniat.

3. Veniet properans * et inundans quasi torrens gratiarum omnem terram.

℣. Surge, propera, amica mea.

℟. Columba mea, formosa mea, veni.

Pater noster. *Absolutio.* A vinculis. *Bened.* Evangelica.

Lectio S. Evang. secundum Matt.

LECTIO 7. c. 13. 17.

In illo tempore: Dixit JESUS Di-

scipulis suis: Amen quippè dico vobis, quia multi Prophetæ et justi cupierunt videre, quæ vos videtis. Et reliqua.

Homilia S. Jacobi Monachi.

*Sermo in Nativ. B. M. V.*

Desiderabant videre diem tuum prophetæ et justi omnes summoque animo rem percupiebant. Requirebant eorum finem quæ fuissent promissa, docti fore in Christo eventura, læti eventûs modum præscrutabantur. Exultantes supplicabant, gaudioque commixtâ supplicatione, quod in votis erat quærebant. Exultaverunt videntes diem tuum, in quo revelatum fuit Incarnationis mysterium: in quo qui ex universo te elegit genere, per te universis creatis gaudium contulit, quod nemo auferre possit. Tu.

℟. Lætare Pater Adam, sed magis tu, ò Eva Mater exulta: * Ambo, inquam, consolamini super filiâ et tali filiâ. ℣. Instat namque tempus, quo jam tollatur opprobium vestrum.—Ambo.

*Bened.* Cujus Adventum.

LECTIO 8.

Viderunt, inquit, et gavisi sunt. Viderunt tanquàm præsentia Spiritali obtutu, quæ erant futura. Perspexerunt animo ineffabilem Dei ad homines exinanitionem. Viderunt ex te factam Verbi Incarnationem. Docti sunt nova, ac quæ nullus sermo effari queat mysteria: novam generis reformationem, cogitatu majorem reconciliationem. Viderunt te thronum Cherubicum: regalem thalamum: supercœleste cœlum; templum præsanctum: multis tabernaculum nominibus celebre. Tu.

℟. Custodite judicium et facite justitiam: * Quia juxta est salus mea, ut veniat, et justitia mea, ut reveletur. ℣. Septem diebus expectabis, donec veniam ad te, et ostendam tibi, quid facias.—Quia.—Gloria.—Quia.—*Hoc ℟. dicitur tantùm hâc die: in aliis diebus dicitur quod sequitur.*

℟. Citò veniet gradiens ad aperiendum nobis portas justitiæ. Ingressi in eas confitebimur Domino:* Hæc porta Domini justi intrabunt in eam. ℣. Ecce sto ad ostium et pulso: aperi mihi, soror mea, amica mea.—Hæc.—Gloria.—Hæc.

*Bened.* Per Virginem.

LECTIO 9.

Viderunt te urnam Spiritûs auro conflatam: urnam immortalitatis illud manna continentem: mensam panem illum vitæ impositum habentem. Viderunt te sinu complexum eum qui in paterno moratur sinu: Verbum, inquam, eâdem cum genitore sublime sede: ejus illud figuram substantiæ: cognatum splendorem: æquè pollentem virtutem: ejusdem substantiæ gloriam, potentiam indivisam. Viderunt carnali ratione in tuis circunscriptum ulnis eum, qui universa palmò circunscribit: qui solo nutu res creat: qui suâ providentiâ creata continet, conservatque ut consistant, cœlestium deniquè virtutum regem et conditorem. Tu. *Cantic.* Te Matrem Dei. *p.* 5.

## AD LAUDES.

*Et per horas Antiphonæ.*

1. Me insulæ * expectant, et naves maris in principio: propè est dies meus. *Psalmi de Feriâ.*

2. Meritò in te* respiciunt oculi totius creaturæ, quia per te quæ Deus creaverat, recreavit.

3. Negotium* omnium sæculorum, causa omnium rerum, meritò in te omnes respiciunt.

4. Expectatio assidua* primorum parentum, desiderium patriarcharum, promissio prophetarum.



5. Propè est, * ut veniat tempus ejus, et dies ejus non elongabuntur.

CAPITULUM. *Isai.* 21. 11.

Custos, quid de nocte? Custos quid de nocte? Dixit custos: venit mane et nox: si quæritis, quærite: convertimini et videte.

HYMNUS 73. *Salla.*

Cœlo intonante canticis,
Tellus redundet gaudio,
En Anna fœtu cœlico
Gravis propinquat partui.
Adamicæ propagini
Culpæ tenebris obrutæ
Per partum hunce gratiæ
Eös rubere cœperit.
Est nascitura scilicet
Aurora solis nuntia,
Sanctæ æquitatis lumine
Atrum nefas qui exterminet.
Hæc illa erit mirabilis
Partura Virgo Filium
Suâ manentis Virginis
Alvo receptum cœlitùs;
Præsens Deus, qui sontibus
Nobis licet, vocandus est,
Suâque sanctitudine
Nostrum reatum destruet.
JESU per Annæ Filiam
Venture, sit communitèr
Tibi, Patri, almo Flamini
Interminata gloria. Amen.

℣. Anima mea, desideravit te in nocte.

℟. Et manè vigilabo ad te.

*Ad Benedict. ant.* Egredietur virga * de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini.

Oremus. *Oratio.*

Dignare, Domine, corda nostra benedictionibus gratiæ tuæ prævenire; ut, cujus Nativitatem expectamus, Sanctissimæ Genitrici tuæ dignè placere possimus. Qui vivis et regnas.

## AD PRIMAM.

*Ant.* Me insulæ. *Capit.* Custos. *De laudibus.*

℣. ℟. *br.* Quæ ventura es in mundum. *Et dicitur usque ad Nativ. B. V. Oratio de Laudibus.*

CANON.

Ex D. Bernardino Senen.

*Ser. de imm. Conc. a.* 1. c. 3.

394. MARIA fuit felix clausula totius Expectationis, et desiderii ac postulationis adventûs Filii Dei, in quâ sicut in cono, id est, in angulo omnia desideria præcedentium electorum atque Sanctorum consummata et terminata fuerunt. Tu.

## AD TERTIAM.

*Ant.* Meritò in te.

CAPITULUM. *Isai.* 49. 1.

Audite insulæ, et attendite populi de longè: Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.

℟. *br.* Visita nos, * Stella matutina. Visita.

℣. Oriens ex alto, Virgo MARIA.—Stella.—Gloria.—Visita.

℣. Omnia te expectant, Domina.

℟. Veni jam, noli tardare.

*Oratio de Laudibus.*

## AD SEXTAM.

*Ant.* Negotium omnium.

CAPITULUM. *Num.* 24. 17.

Orietur Stella ex Jacob, et consurget virga de Israel, et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth.

℟. *br.* Orietur * In tenebris lux tua.—Orietur. ℣. Et tenebræ tuæ sicut meridies.—In.—Gloria.—Orietur.

℣. Orietur Stella ex Jacob. ℟. Et consurget virga de Israel. *Oratio de Laudibus.*

## AD NONAM.

*Ant.* Propè est.

CAPITULUM. *Jer.* 1. 5.
Priusquàm te formarem in utero, novi te: et antequàm exires de vulvâ sanctificavi te.

℟. *br.* Dominus faciens, * Et formans te.— Dominus.— Ab utero auxiliator tuus.—Et.—Gloria. Dominus.

℣. De ventre matris meæ Deus meus es tu.

℟. Tu es protector meus.

IN II. VESPERIS.

*Ant.* 1. Nunquid cognoscentur, * Domine, in tenebris mirabilia tua, et justitia tua in terrâ oblivionis?

2. Expectemus lucem, * ut videamus ortum surgentis auroræ.

3. Si subitò * apparuerit aurora, replebuntur lætitiâ corda nostra.

4. Splendor ejus, * ut lux erit sedentibus in tenebris, et in umbrâ mortis.

5. Veni Domina, * noli tardare; ostende lumen tuum super nos: accelera, ut liberes nos.

CAPITULUM. *Isai* 21. 11.
Custos, quid de nocte? Custos quid de nocte? Dixit custos: venit manè et nox: si quæritis, quærite: convertimini, et videte.

HIMNUS 74. *Salla.*
Prælude cœlum laudibus,
Collude, terra, jubilo:
Propinquat Anna partui
Utrique præstantissimo.
Hic nempè partus proferet
Germen pium redintegrans
Eò ruinas cœlicas
Quo damna protoplastica.
Jessea namque virgula
Prodibit, è quâ pullulet
Desideratus omnium
Votis Redemptor gentium.
Adamicam qui perditam
Parentis ausu reprobo,
Suo redemptam sanguine
Resuscitet propaginem.
Ex quâ, soluta crimine
Pesum superbè deditas
Ab Angelis apostatis
Sedes supernas impleat.
JESU per Annæ Filiam
Venture sit communitèr
Tibi, Patri, almo Flamini
Interminata gloria. Amen.

℣. Luce splendidâ fulgebis, Virgo MARIA.

℟. Et omnes fines terræ adorabunt te.

*Ad* Magnif. *ant.* O. *p.* 302.
*Oratio de Laudib.*

*Si festum Expec. transferatur ratione Dominicæ in aliam diem, non tamen transferuntur antiphonæ* O. *ad* Magnificat; *sed earum loco dicuntur illæ quæ cuilibet diei determinatè assignantur. Idem observandum in aliis Festivitatibus quæ transferuntur ante Expectationem.*

DIE II. SEPT.

## B. M. V. DE PODIO.

*Simplex.*

*Si hoc die fiat de Expectatione, fit solùm comm. hujus festi. Ad Matutin. Invitator. et Hymn. ut in die Expectat. p.* 303. *Antiph. Psalmi,* ℣. *etc. ut in feriali officio cum tribus sequentibus Lectionibus, quod in aliis simplicibus observatur. Festa simplicia non transferuntur.*

LECTIO 1.
*Bolland. in vitâ S. Petri Nolasc.*

Cum Jacobus Aragoniæ Rex anno millesimo ducentesimo trigesimo octavo, mense Septembris, Valentiæ urbem expugnaret, compositis exercitibus juxta arcem oppidi de Podio propè urbem, visæ sunt septem stellæ micantes plerisque diebus à cœlo ad terram descendere. Quæ res exercitum omnem et populum rapuit in admirationem, et ad invicem conferebant divinum



portentum. Sed illud non valentes penetrare, ex consilio Sancti Petri Nolasci is locus, in quem stellæ descendebant, inquisitus est. Tu. ℟℟. *Dicuntur ut in tempore Expectat. p.* 59.

LECTIO 2.
Cum autem in superiori parte à superficie terræ nihil prorsùs esset repertum, occultum aliquod mirabilius excogitantes, terram effoderunt, statimque in ipso effosionis initio divinum nectaris et ambrosiæ odorem terra spirabat, et ingenti fragrantiâ odoris totius agri campus fœcundabatur. Nam eo loci inventa fuit sanctissimæ Virginis MARIÆ mirabilis Imago, quæ hodiernâ die felicitèr colitur in antiquo monasterio ejusdem Virginis sanctissimæ in oppido de Podio prope Valentiæ urbem. Tu.

LECTIO 3.
Devota imago sanè subtùs terram sub ingenti æneo cymbalo erat inclusa. Et hæc inventio non parvum fuit militibus solatium, et quasi initium victoriæ. Hujus clarissimæ Imaginis extant hisce diebus pleraque divina miracula, et religiosissimo cultu valdè à cunctis illius provintiæ habitatoribus colitur. Eodem loco prorsùs reposita invisitur, quo inventa fuit, ad quem locum, cum ab eo dimota esset, ut majori altari ipsius Ecclesiæ reponeretur, non semèl, sed bis et iterùm Deipara ipsa se contulit. Tu.

*Ad laudes et per horas omnia ut in die Expectationis. Et sic in aliis Festis, quæ non inveniuntur propria in proprio Festivitatum desumuntur ex communi pro diversitate temporum.*

*Oratio.*

Omnipotens et misericors Deus, qui Genitricis Filii tui imaginem mirabilibus signis venerabilem ac salutarem nobis esse voluisti; da, quæsumus, ut ipsius patrocinio ab omnibus sempèr liberemur adversis, et vitam consequamur æternam. Per eumdem.

*Tempore Expectat. non fiunt suffragia.*

*Preces ad Primam. Canon de feriâ.*
*Vesperæ de sequenti.*

DIE III. SEPTEMB.

## PRÆSIGNATIO B. M. V.
## IN ANTIQUA LEGE.

*Dupl. majus.*

*Omnia ut in die Expectationis præter sequentia.*

*Ad* Magnific. *ant.* O. *p.* 302.
*Oratio de Laudibus.*

AD MATUTIN.

HYMNUS 75. *V. P. Canis.*
Dignum Tonantis tu Domicilium
Templumque Sancti nobile Flaminis,
Signatus ille fons et hortus,
Fatidico celebratus ore.
Tu magna summi janua Numinis
Monstrata vati, pervia nemini:
Radicis expers tu, sed almo
Flore, nitens, sacra Virgo, virga.
Arente visum tu Gedeonicum
Madere quondàm vellus in areâ.
Amicta tu, Virgo, micanti
Sole, premens pedibusque lunam.
Flammis et ardens innocuis rubus:
Spectante longè legifero duce:
Hesterque tu vultu decoro
Assuero speciosa Regi.
Quandò venusto de grege virginum
Sceptris superbis, et diademate,
A regiis dignata tædis,
Sola tuum genus omne serva.
Æterna summo gloria sit Patri,
Natoque necnon Spiritui Deo
Numenque tres unum futuris

Posteritas colat usque sæclis. Amen.

*Lectiones* 1. *Noct. ut in die Expectationis.*

IN II. NOCT.

Ex verbis B. Dionysii Carthusiani in libro de Laudibus. B. M. V. *Artic.* 11. *Libr.* 1.

LECTIO 4.

Quoniàm præstantissima ac divinissima Genitrix Christi præ cæteris ineffabilitèr excelentiùs, atque propinquiùs spectat ad Christum, decentissimum fuit de ipsâ tàm in lege naturæ quàm in lege scriptâ præcedere varia ac præclara oracula, signa, vaticinia et gesta mirifica, supernataralia quoquè misteria. Cernimus enim quòd règes et principes magni et providi magnalia peracturi, et suam potentiam, munificentiam, aut excellentiam monstraturi, non sine prænuntiatione id agant, sed præcones præmittant, locum ac tempus prædicant, congruentibusque præambulis intentum præveniant opus excelsum, quatenus interim ad illius intuitum alii præparentur, et confluant. Tu. ℟. Ad MARIAM.

LECTIO 5.

Itaque de hâc præelectissimâ atque Sanctissimâ Virgine, in quâ et ex quâ, et perquam implenda erant excellentissima Christi mysteria; quam Pater Æternus præelegit sibi in sponsam singularem, in comparentalem, in veram unici, et coæqualis sui Filii matrem: quam et Verbum æternum sibi in amantissimam elegit Genitricem: quam Spiritus Sanctus elegit sibi in summum sacrarium, atque purissimum templum, et in parentem illius, de quo ipse æternalitèr, incomprensibilitèrque procedit. De hâc, inquam, tantâ ac tali decuit totam super gloriosissimam Trinitatem per Patriarchas et Prophetas præfari, signa et figuras præmittere, supernaturalia insinuari. Tu. ℟. Omnia te.

LECTIO 6.

De hâc omnium fortissimâ ac victoriosissimâ mulierum, purrissimâ Virginum, fœcundissimâ Matrum, in mundi exordio dixit sub typo serpentis diabolo: Inimicitias ponam inter te et mulierem. Ipsa conteret caput tuum. De ipsâ quoquè et adorando Filio ejus Balaam: Orietur stella ex Jacob, et consurget virga, et ut alia habet translatio, Virgo de Israel. Hanc signavit tabernaculum Moysi, hanc arca testamenti, hanc propitiatorium et velamen. Ipsam nomine et effectu præfigurabit MARIA soror Moysi, Prophetissa Jael et Bethsabe, imo de his præfigurationibus innumerabilia ac præclara possent induci, de quibus hæc pauca sufficiat teligisse. Tu. ℟. Beati ómnes.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 26.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro. Et reliqua.

Homila S. Bernardi Abbatis.

*Hom.* 2. *super missus.*

Missus est, inquit, Angelus ad Virginem: virginem carne, virginem mente, virginem profesione, virginem deniquè (qualem describit Apostolus) mente et corpore sanctam. Nec noviter, nec fortuitò inventam, sed à sæculo electam, ab Altissimo præcognitam, et sibi præparatam, ab angelis servatam, à patribus præfiguratam, à prophetis promissam. Scrutare scripturas, et proba quod dico. Tu. ℟. Lætare, Pater.

*Benedict.* Cujus Præsignationem.

LECTIO 8.

Visne, ut et ego aliqua ex his testimonia hic inseram? Ut pauca loquar de pluribus, quam tibi aliam prædixisse Deus videtur, quandòad serpentem ait: Inimicitias ponam inter te et mulierem? Et si adhùc dubitas, an de MARIA dixerit, audi quod sequitur: ipsa conteret caput tuum. Cui hæc servata victoria est, nisi MARIÆ? Ipsa proculdubio caput contrivit venenatum, quæ omnimodam maligni susgestionem tam de carnis illecebrâ, quam de mentis superbiâ deduxit ad nihilum. Tu. ℟. Citò veniet.

LECTIO 9.

Quam verò aliam Salomon requirebat, cum dicebat: mulierem fortem quis inveniet? Quid deindè rubus ille quondàm Mosaycus portendebat, flammas quidem emittens, sed non ardens, nisi MARIAM parientem et dolorem non sentientem? Quid, rogo, virga Aaron florida, nec humectata, nisi ipsam concipientem, quamvis virum non cognoscentem? Tu. Te Matrem.

AD LAUDES.

HYMNUS 76. *Parn. Virgin.*

Stirps Jesse generosa
Prodis Virga regia:
Gloriosa legis glossa
Et Mater egregia:
Nobis præsta cœli rosa
Sanctorum collegia.

Figuris Patriarcharum
Virgo præsignaris:
Scripturisque Prophetarum
Futura proclamaris:
Jamque nata Lumen Patris



Æternum largiaris.

Rubus ille visionis
Quem Moysis expavit,
Vellusque Gedeonis
Quod ros penetravit:
Tu et nata Salomonis
Clara stirpe David.

Sempiterna sit beatæ
Trinitati gloria:
Æqua Patri Filioque
Par decus Paraclito:
Unius trinique Nomen
Laudet universitas. Amen.

*Ad* Benedict. *ant.* Egredietur virga de radice Jesse et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini.

Oremus. *Oratio.*

Inclina, quæsumus, Domine, aures tuas ad preces nostras, ut qui Præsignationem beatissimæ Virginis MARIÆ celebramus, ad vitam æternam præsignati, in cœlesti Jerusalem collocari mereamur. Per Dominum.

℣. ℟. *brev.* Quæ in antiquâ lege præfigurata fuisti.

CANON.

Ex Paulo Papâ Quinto. *Const.* 253. Immensæ bonit. *an.* 1615.-*Bull. Rom. T. V. p.* 4. 183.

395. Virgo tot figuris, tot Prophetarum visionibus ac vaticiniis: anteà præmonstrata, et à Sanctis Patribus diù expectata, tandèm veniens fortis, ac scuto virtutum, et gratiarum omnium ornata, salutiferâ fœcunditate suâ liberavit nos à captivitate. Tu.

*Ad Vesper ant. ut in II. Vesper Expectat.*

*Ad* Magnific. *ant.* O. *p.* 302.

DIE IV. SEPT.

## B. M. V. DEAURATÆ.

*Semiduplex.*

*Omnia ut in die Expectat. ritu semiduplici.*

*Lectiones I. Noct. ut in Domin. Expect. p.* 60. *cum* ℟℟. *diei I. Septembris.*

IN II. NOCT.

*Gallia Christiana. tom.* 13. *p.* 100.

LECTIO 4.

Beatæ MARIÆ apud Tolosam Ecclesiæ, vulgò dictæ Deauratæ, primordia quidam ad Theodosium Imperatorem referunt; alii ad Theodoricum Wisigothorum Regem; nonnulli verisimiliùs eamdem, cum anteà Jovis, vel, ut placet aliis, Pallidis templum esset, in honorem beatæ MARIÆ ab Exuperio Tolosano Episcopo consecratum tempore Honorii Imperatoris versus sæculi quarti finem. Evolutis autem aliquot post dedicationem annis, Placida soror Honorii, et Attolphi Wisigothorum regis uxor, concamerato fastigio templi parietem obduxit, vermiculatis miro et aureo opere tesserulis, quæ Beatæ Virginis, et sanctorum apostolorum Icones exprimebant: templo Beatæ MARIÆ Deauratæ inditum est nomen. Tu. ℟. Ad MARIAM.

LECTIO 5.

Dejectâ post quadraginta vel circitèr annos concamerati ejus fastigii parte, Ranachildis Regis Eurici Sponsa, novo ædificio, quod instar navis esset, amplificavit. Posteà Monachos Ordinis Sancti Benedicti illic insedisse jam ab anno octingentesimo quadragesimo tertio apparet ex quodam Caroli Calvi diplomate, per quod Monasterium Beatæ MARIÆ, quod est infra muros civitatis Tolosæ, sub suâ protectione suscipit novaque indulget privilegia. Tu. ℟. Omnia te.

LECTIO 6.

In eo templo reposita manet lignea Deiparæ Christum gestantis statua, intra quam à priscis temporibus sacræ reconditæ sunt reliquiæ: quæ quidem statua, gravissimis imminentibus periculis, ad Capitulinorum, nomine totius urbis, voluntatem, à sede propriâ demissa ad locum, in quo malum urgebat, magnâ cum pompâ, et populi universi concursu, præeuntibus sacris omnium Ecclesiarum vexillis, deferebatur. Et vix ac ne vix quidem frustrà unquàm, ut norunt omnes, ulla facta est solemnis hæc demissio, et cœremonia. Tu. ℟. Beati omnes.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 13. 17.

In illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: amen quippè dico vobis; quia multi Prophetæ et justi cupierunt videre quæ vos videtis. Et reliqua.

Homilia Ven. Hugonis de Sancto Victore.

*In Institut. monastica Serm.* 34.

Beata Virgo MARIA aurora fuit, quia et præcedentis temporis, quod quasi nox fuerat, finis extitit, et vera lucis gratiæ, solisque justitiæ, qui ex ipsâ progenitus est, preventrix et antelucanum sydus fuit. Totum namque tempus, quod ab Adam usque ad ejus ortum præcessit, quasi nox extitit, nox longa, obscura, frigida, otiosa, torpida, somniculosa, tacita, imò muta fuit. Tu. ℟. Lætare.

LECTIO 8.

Quædam tamen astra radiis suis tempus illud irradiabant, quia Sancti Patriarchæ, et Prophetæ suis virtutibus ignorantiam populi illustrabant. Quorum radii posteà, hâc Aurorâ apparente, quodam modo obfuscati sunt, quia in comparatione beatæ MARIÆ præcedentes sancti parvam claritatem habuerunt: quid enim fuerunt aliorum virtutes sanctorum in comparatione Beatæ MARIÆ? Beata igitur Virgo MARIA verè aurora clarissima fuit, quia videlicet nihil tenebrarum illius culpæ admixtum habuit, quæ suo magnifico jubare præcedentium Patrum claritatem minoravit. Tu. ℟. Cito veniet.

LECTIO 9.

Commemoratio B. MARIÆ Majoris Neapolitanæ.

*Spinelli, Tract. de Fest. et Templ. Deipar.*

Extruxit Sanctæ MARIÆ majoris templum Neapoli Sanctus Pomponius Episcopus Neapolitanus annum Domini circitèr quingentesimum vigesimum quartum. Est autem hæc Basilica una ex quatuor præcipuis Parrochiis, insignis etiàm Imagine Deiparæ, ut fama est, à Sancto Lucâ depictâ, quæ circa finem decimi sexti sæculi religiosissimis Patribus Clericorum Regularium est attributa, et ab iisdem nitori restituta, ubi in animarum salute procurandâ egregiam navant operam. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Concilio Tolosano.

*In Statut. Synodalib. an.* 1219.— *Marten. Tom.* 7. *c.* 106.

396. «Statuimus quòd Parrochiani» Sabbato circa vesperas ob reverentiam Beatæ MARIÆ Virginis Ecclesias suas cum devotione visitent. Tu.

*Vesperæ de sequenti.*

DIE V. SEPT.

## B. M. V. IN UTERO MATERNO.

*Duplex majus.*

*Omnia ut in die I. Septembris præter sequent.*

*Ad Magnif. ant.* O. *p.* 302.

*Oratio de laudibus.*



AD MATUTIN.

HYMNUS 77. *Brev. Cistercien.*

Fœcunda radix Isai
Florem pudicum germinat;
Dei daturam Filium,
Orbi dat Anna Virginem.

Jam sperat humanum genus
Caput tenebris excitans,
Lucemque primam conspicit
Annæ coruscantem sinu.

Hanc vota puri pectoris
Zeloque conceptæ preces
Prolem merentur omnium
Matrem salutis gignere.

*Doxol. de Tempore.*

IN I. NOCT.

De Isaiâ Prophetâ.

LECTIO 1. *c.* 44. 2.

Hæc dicit Dominus faciens et formans te, ab utero auxiliator tuus: noli timere serve meus Jacob, et rectissime, quem elegi. Effundam enim aquas super sitientes, et fluenta super aridam: effundam spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam. Et germinabunt inter herbas, quasi salices juxta præterfluentes aquas. Tu. ℟. Terra erat.

LECTIO 2. *v.* 24.

Hæc dicit Dominus redemptor tuus, et formator tuus ex utero: Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram, et nullus mecum. Irrita faciens signa divinorum, et ariolos in furorem vertens. Convertens sapientes retrorsùm: et scientiam eorum stultam faciens. Suscitans verbum servi sui, et consilium nuntiorum suorum complens. Tu.

℟. Surge, illuminare.

LECTIO 3. 49. 1.

Audite insulæ, et attendite populi de longè: Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ re-

cordatus est nominis mei. Et posuit os meum quasi gladium acutum: in umbrâ manus suæ protexit me, et posuit me sicut sagittam electam: in pharetrâ suâ abscondit me. Et dixit mihi: servus meus es tu Israel, quia in te gloriabor. Tu.
℟. Ecce dies.

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardini Senensis. *De concept. B. V. M. art.* 1. *c.* 2.

LECTIO 4.

Beata Virgo etiàm dum erat in utero Matris habuit usum liberi arbitrii, atque lumen perfectum in intellectu et ratione. Proindè secundum quosdam fuit tunc in sublimioris contemplationis statu, quàm unquàm fuerit aliqua creatura humana in perfectâ ætate. Tu. ℟. Ad MARIAM

LECTIO 5.

Et licet in utero Matris suæ, sicut et cæteri infantes, dormiret; attamen somnus qui sepelit in nobis rationis et liberi arbitrii actus, et per consequens actum merendi, non credo, quòd talia in ipsâ fuerit operatus, sed anima sua liberè ac meritorio actu tunc tendebat in Deum. Tu. ℟. Omnia.

LECTIO 6.

Undè illo tempore erat perfectior contemplatirix, quàm unquàm fuerit aliquis alius, dum vigilavit, undè et ipsa ait: Ego dormio, et cor meum vigilat, scilicet, contemplatione perfectâ à nullâ actione debilitatâ. Tu. ℟. Beati omnes.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO. 7. *c.* 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Laurentii Justiniani Ep. *Sermo in Annunt. B. V. M.*

Quotiès intemeratæ Virginis MARIÆ prærogativam sanctitatis facundia humana conatur ediscere, quoniàm longè ab illius extitit meritis, necesse est, ut succumbat. Meliùs quippè silentio, quàm locutione disseritur, cum omnis laus eàdem inferior sit. Quis (oro) hujus Virginis gratiam sufficit enarrare? Ab ipsâ namque sui conceptione in benedictionibus præventa dulcedinis, atque à damnationis aliena chirographo, priùs est sanctificata, quàm nata. Tu. ℟. Lætare.

LECTIO 7.

In ipso enim utero materno jam posita super illam gratia sanctificationis effulsit, utpotè eâ, quæ electa erat, ut pareret Deum. Noverat opus suum ille qui fecerat, et quale futurum erat certissimè agnoscebat. Hinc est, quòd Virginem, ipsam tam largo imbre Spiritus irrigavit. Erat planè sicut à carnis alluvione immunis, ita et ab omni peccati labe extranea: degebat quidem in carne, conversabatur supra carnem, carnisque molestias non sentiebat. Talis profectò erat, ut nulli usui servaretur, nisi divino. Tu. ℟. Citò.

LECTIO 9.

Quam ob rem cum temporis plenitudo venisset, in quo universorum conditor humanum genus redimere statuerat, hanc præ cæteris reperiens sanctiorem sibi præcipuè elegit in Sponsam: ipsam mente, ipsamque corpore custodivit intactam, ut esset, de quâ Verbum fieret caro, ac mulieris pudor per eam deleretur et culpa. Tu. Te Matrem.

*Ad* Benedict. *ant.* In te, Domine, projecta sum ex utero, quia



à ventre matris meæ tu es Protector meus.

Oremus. *Oratio.*

Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut qui Beatam Virginem MARIAM priùs sanctam quàm natam colimus, ab omnibus, ipsâ intercedente, peccatorum vinculis absoluti, vitam promereamus æternam. Per Dominum.

*Vesperæ ut in* 2. *Vesper. Expect. Ad* Magnif. O. *p.* 302.

DIE VI. SEPT.

## B. M. V. XARAVIENSIS.

*Simplex.*

*Ad Matut. Invitator. et Hymn. ut in die* 1. *Septemb. Antiphonæ et Psalmi. ut in feriâ occurenti.*

LECTIO 1.

*Lanuza Histor. Arag. lib.* 3. *c.* 7.

Non longè ab oppido Xaravæ in Aragoniâ jam pluribus abhinc sæculis colitur diva Virgo in devotissimo sacello decem et octo passibus longo, decem verò tantùm lato, infra profundam cavernam ipsius in honorem excitato. Parvula, devotaque Imago, quæ in primâ arâ sub christalo colitur, à quibusdam xaraviensibus Pastoribus inventa creditur, non longè ab eo, in quo nunc est templum, loco. Tu.

℟. Xaravam Virgo, Templumque, locumque tueris, * Ut lux, ut Mater, ut medicina soli. ℣. Nomen namque sonat Xaravæ antidota.— Ut lux.

LECTIO 2.

Die decimâ quintâ augusti, beatæ Virgini ibi specialissimè sacrâ ingens fit ad illud sacellum accursus, tum ex Aragoniæ, tum ex Castellâ: nam innumerabilia gratiarum pignora à xaraviensi Divâ hominibus collata, miraculaquè propter ipsos ab illâ patrata, ut ex innumeris tabellis, aliisquè signis è muris templi appensis, satis liquet, eos ad tantum festum celebrandum è dissitis etiàm locis exciunt. Tu.

℟. Sis cunctis vita, salus, lux, via, meta nobis: * Nomen namque sonat Xaravæ antidota. ℣. Ut lux, ut Mater, ut medicina soli.—Nomen.—Gloria.—Nomen.

LECTIO 3.

Commemoratio S. MARIÆ in Domenicâ.

*Spinelli tract. de fest. et templ. Deip.*

Sancta MARIA in Domenicâ Romæ in monte Celio appellatur etiàm à Navicellâ propter lapideam Naviculam pro templi foribus positam, sive ad monumentum miraculi, vel beneficii à Virgine collati, sive ad ejusdem templi ornatum. Hæc inter cardinalium Diaconias præcipua fuisse videtur. Eamdem suâ antiquitate venerabilem, et jam ruinæ proximam Paschasius primus ampliorem, melioremque à fundamentis renovavit, absidemque ejus musivo opere mirificè decoravit, eique multa dona obtulit. Postmodùm Leo Decimus eam brevi ruituram refecit, et majori splendori restituit. Tu. Te Matrem.

*Ad Laud. et per Hor. ut in die Expect. Prec. ad Prim. Vesperæ dicuntur ut in feriali Officum ant.* O. *ad* Magn. *quæ dicitur integra ante et post. p.* 302.

*Oratio ut in die* 1. *Sept.*

DIE VII. SEPT.

## IN VIGIL. NATIVITATIS B. M. V.

*Simplex.*

*Ad Matut. Invitator et Hymn. ut in die I. Sept. p.* 303. *antiph. et Psalmi ut in feriali officio.*

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 1. *c.* 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Petri Damiani Ep.

*Sermo in Assumpt. B. V. M.*

In meridiano lumine primus ille parens creatus est, factus ad imaginem et similitudinem conditoris. Quid enim clarius quàm creatura creatori non esse dissimilem? Sed ille tanti privilegii dignitate rejectâ apostatæ Spiritui falsa promissioni delinitus inhæsit, et se cum posteritate suâ perpetuæ morti destinavit, et tenebris. Ab illâ horâ tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad Virginem: nec inventus est aliquis, qui vel exiret de tenebris vel tenebras dissiparet; sed mundo crescente concrevit et tenebrosa vorago, donec in densissimam conglobata nigredinem humanum genus nocte terribili sepelivit. Tu. ℟. *De feriâ occur.* *p.* 59.

*Bened.* Cujus adventum.

LECTIO 2.

Hæc est illa nox solitaria, nec laude digna, de quâ scriptum est: posuisti tenebras et facta est nox: in ipsâ pertransibunt omnes bestiæ silvæ: quia crudeles et indomiti spiritus, dimotis repagulis, humanum genus totis viribus obstiterunt. Sed natâ Virgine, surrexit aurora, quia MARIA veri prævia luminis Nativitate suâ mane clarissimum serenavit. Hæc est Stella matutina in medio nebulæ, quæ in cœli cardine summo splendore coruscans orbem subditum splendidioribus radiis incolorat. Tu. ℟.

*Bened.* Per Virginem.

LECTIO 3.

Hæc est aurora quam sequitur, immò de quâ nascitur sol justitiæ, solius solis claritati succumbens. Hæc est aurora, quam ille non vidit, qui vidit omne sublime: et orat beatus Job, ut ei multa suppressione claudatur, dicens: non videat ortum surgentis auroræ. Tuus est dies, Domine, in quâ Adam est conditus; tua est nox in quâ Adam à die est ejectus; tu fabricatus es auroram, id est, Virginem Matrem, et solem, videlicet justitiæ, qui de virginali thalamo consurrexit. Tu. ℟.

*Ad Laud. et per horas offic. fit Duplex, et dicuntur omnia ut in die I. Septembris.*

*Ad* Benedic. *ant.* Crastinâ die in ascensu diluculi egredietur stella ex Jacob divini luminis nuntia.

Oremus. *Oratio.*

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui Nativitatem beatissimæ Virginis MARIÆ expectando prævenimus, cœlestibus donis ad tantam solemnitatem ritè celebrandam præveniri mereamur. Per Dom.

*Vesperæ de sequenti.*

DIE VIII. SEPT.

## NATIVITAS B. M. V.

*Duplex* 1. *Classis cum Octavâ.*

IN I. VESPER.

*Ant.* 1. Orietur Stella ex Jacob, et consurget virga de Israel. *Psalmi ut in* 1. *Vesper. Solemn.*

2. Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.

3. Erit radix Jesse, et qui exurget judicare gentes, in eum gentes sperabunt.

4. In splendore ortùs tui omnes venient, laudantes et glorificantes Dominum.

5. Multi in nativitate ejus gau-



debant, eritque gaudium omnibus et exultatio.

CAPITULUM. *Genes.* 24. 59.

Soror nostra es, crescas in mille millia, et possideat semen tuum portas inimicorum suorum.

℟. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurges: * Pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis, ut castrorum acies ordinata. ℣. Sicut lux auroræ, quæ manè absque nubibus rutilat.—Pulchra. —Gloria.—Quæ est. *In diebus infra Oct. omittitur.*

HYMNUS 78. *Brev. Bisunt.*

Aurora, quæ solem paris,
Et ipsa solis filia,
Quàm splendidum, cum nasceris,
Affers diem mortalibus.

Te luce sol vestit suâ
Tibique luna sternitur:
Aptata sacro vertici
Nectunt coronam sidera.

Te mille virtutum chori,
Te turma cingit cœlitum:
Ambit tuo se numine
Qui te facit Matrem Deus.

Uti potens exercitus
Tu, Virgo, terror hostium:
Te sic obumbratam Deo
Pavent, tremuntque tartara.

Fac, Virgo, quem scimus Deum
Venisse terris hospitem,
Per te manens nobis adhuc
Nostri sit hospes pectoris.

Sit laus Pari, laus Filio,
Sit par tibi laus Spiritus,
Dignam Deo, qui Virginem
Formans ab ortu præparas. Am.

*Hæc Doxol. dicitur per totam octavam.*

℣. Nativitas est hodiè sanctæ MARIÆ Virginis.

℟. Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

*Ad* Magnifi. *ant.* Ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis, ascendit de mari, allel. allel. *Orat. ut in Laudib.*

*Completor. de Domin.*

AD MATUTIN.

*Invitator.* Nativitatem beatæ MARIÆ Virginis celebrantes: * Christum ejus Filium adoremus Dominum.

HYMNUS 79. *Apud Marrac.*

Ad Laudem Virginis invitat hominem.
Ipsa mens hominis læta per Virginem:
MARIA nascitur salus credentium,
Et verè creditur salus nascentium.

Puella nobilis, comes humilium,
Magistra humilis, et dux nobilium:
Regina gloriæ, Regis et Filia
Sed Regis filiæ ab intùs gloria.

Hâc die nata est, per quam pax redditur,
Et vita data est, quibus hæc nascitur,
In terris fulserit, in cœlis lucida,
Undis illuxerit hæc stella fulgida.

Nos apud Filium reos concilia,
Reis consilium da, Regis Filia,
Ut trahat homines ad se dux Virginum,
Clamat ad Virginem gemens cor hominum. Amen.

IN I. NOCT.

*Ant.* 1. Hodiè nata est * beata Virgo MARIA ex progenie David. *Psalm.* 18. Cœli enarr. *p.* 26.

2. Quandò nata est * Virgo MARIA, tunc illuminatus est mundus. *Psalm.* 28. Afferte Dom. *p.* 23.

3. Stirps beata, radix sancta, et benedictus fructus ejus. *Psalm.* 46. Omnes gentes. *p.* 30.

℣. Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis.

℟. Collum tuum sicut monilia.

De libro Sapientiæ.

LECTIO 1. *Prov.* 8. 22.

Dominus possedit me in initio via-

rum suarum, antequàm quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis antequàm terra fieret. Nondùm erant abyssi, et ego jam concepta eram: necdùm fontes aquarum eruperant: necdùm montes gravi mole constiterant: ante colles ego parturiebar. Tu.

℟. Solem justitiæ Regem paritura supremum: * Stella MARIA maris hodiè processit ad ortum.

℣. Cernere divinum lumen gaudete fideles.—Stella.

LECTIO 2.

Adhuc terram non fecerat, et flumina, et cardines orbis terræ. Quandò præparabat cœlos aderam: quandò certâ lege et gyro vallabat abyssos: quandò æthera firmabat sursùm, et librabat fontes aquarum: quandò circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos: quandò appendebat fundamenta terræ. Cum eo eram cuncta componens, et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore: ludens in orbe terrarum, et deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Tu.

℟. Hodiè nata est beata Virgo MARIA, per quam salus mundi credentibus apparuit: * Cujus vita gloriosa lucem dedit sæculo. ℣. Beatissimæ Virginis MARIÆ Nativitatem devotissimè celebremus.—Cujus vita.

LECTIO 3. *Eccl.* 24. 14.

Ab initio et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatione sanctâ coram ipso ministravi, et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificatâ similitèr requievi, et in Jerusalem potestas mea; et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea. Tu.

℟. Ad nutum Domini nostrum ditantis honorem: * Sicut spina rosam genuit Judæa MARIAM. ℣. Ut vitium virtus operiret, et gratia culpam. — Sicut. — Gloria. — Ad nutum.

*In diebus infra octavam.* Sicut.

IN II. NOCT.

*Ant.* 1. Quæ est ista, * quæ nascitur, quasi aurora valdè rutilans? *Psalm.* 60. Exaudi Dom. *p.* 33.

2. Soror nostra est: * tota pulchra, et immaculata. *Psalm.* 81. Deus in Sinag. *p.* 38.

3. Viderunt eam * filiæ Sion, et beatissimam prædicaverunt. *Psalm.* 86. Fundamenta. *p.* 24.

℣. Gloriosa dicta sunt de te.
℟. MARIA, Civitas Dei.

Sermo S. Petri Damiani Ep.
*Homil. in Nat. B. V. M.*

LECTIO 4.

Gaudeamus, dilectissimi, et exultemus in Nativitate beatissimæ Dei Genitricis MARIÆ, quæ novum mundo nuntiavit gaudium, et totius extitit humanæ salutis exordium. Exultemus, inquam, et sicut gaudere solemus in Nativitate Christi, ita etiàm nihilominùs gaudeamus in Nativitate Matris Christi. Tu.

℟. Ne timeas, Joachim, quoniàm exaudita est deprecatio tua: * Et uxor tua Anna pariet tibi filiam, et vocabis eam MARIAM. ℣. Et erit tibi gaudium, et exultatio, et multi in Nativitate ejus gaudebunt.—Et uxor.

LECTIO 5.

Hodiè nata est Regina mundi, fenestra cœli, janua paradissi, tabernaculum Dei, Stella Maris, Scala cœlestis, per quam supremus Rex humiliatus ad ima descendit, et homo qui postratus jacebat, ad superna exaltatus ascendit. Hodiè apparuit stella mundo, per quam sol justitiæ illuxit mundo. Illa videlicet de quâ per prophetam dicitur: orietur stella ex Jacob, et consurget homo de Israel. Tu.

℟. Fundatur exultatione universæ terræ, * Mons Sion, latera aquilonis, civitas regis magni. ℣. Deus fundavit eam in æternum.—Mons.

LECTIO 6.

Hodiè nata est splendidissima illa Virgo ex quâ processit speciosus forma præ filiis hominum, tanquàm sponsus procedens de thalamo suo. Hodiè prodiit ex utero matris, quæ templum fieri meruit divinitatis. Hodiè impleta est prophetia illa, quem eximius Prophetarum Isaias, quasi præco factus ad adventum Reginæ Mundi, magnâ voce clamabat, dicens: Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Tu.

℟. Fundamenta ejus in montibus sanctis: * Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. ℣. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.—Diligit.—Gloria.—Fundamenta.

*In diebus infra oct.* Diligit.

IN III. NOCT.

*An* 1. Congratulamini mihi, * quia cum essem parvula, placui Altissimo. *Psalm.* 88. Misericordias. *p.* 25.

2. Respexit Dominus * humilitatem ancillæ suæ, et beatam me dicent omnes generationes. *Psalm.* 127, Beati omnes. *p.* 48.

3. Invenisti gratiam coram Domino Deo tuo, et fecit tibi magna, qui potens est. *Psalm.* 130. Domina non. *p.* 48.

℣. Adjuvabit eam Deus. ℟. Mane diluculo.



Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 1. 1.

Liber generationis JESU-Christi, Filii David, Filii Abraham. Et reliqua.

Homilia S. Thomæ Arch. Valent.
*Conc.* 2. *in Nativ. B. M. V.*

Licet pauperem et humilem Matrem elegerit Deus, sed tamen genere illustrissimam, nobilissimam, generosissimam, quæ multò ampliùs secundum carnem, quàm sit modo quæcumque illustris fœmina. Namque ab antiquo multis sæculis, longâ progenie, à Patriarchis et Regibus, et Sacerdotibus virginem traxit. Recense nunc in toto orbe quænam sit, quæ tot regibus et principibus polleat in origine. Tu.

℟. Vitis uberrima ex Annâ pullulavit, uvaque suavissima effloruit, * Potum nectaris fundens in vitam æternam. ℣. Gaudete in Domino Deo vestro, quia germinavit desertum, et sterilis protulit fructum suum.—Potum.

*Bened.* Cujus Nativitatem colim. *et dicitur per Oct.*

LECTIO 8.

Nobilissima igitur fuit Virgo MARIA secundum progeniem, et illustrissima, qualem decuit Matrem Dei futuram. Neque enim decuit rusticam esse, aut vulgarem, ne aliqua obscuritatis, et ignobilitatis nota redundaret in Filium. Decuit itaque eum, qui Rex et Sacerdos futurus esset in populo Dei, ex regibus et sacerdotibus originem ducere, ut etiàm secundum carnem regnum et sacerdotium non usurpatum videretur, sed ei jure optimo convenire. Tu.

℟. Nativitas gloriosæ Virginis MARIÆ * Ex semine Abrahæ, de tribu Juda, clarâ ex stirpe David.

℣. Regali ex progenie MARIA exorta refulget. ℟. Ex semine.

*In diebus infra oct. loco octavi ℟. dicitur ℟. ut infra.*

LECTIO 9.

Neque te moveat, quod non ad Virginem, sed ad JOSEPH Genealogia deducta sit: Servatus est enim scripturarum mos ab Evangelistâ, in quibus non per feminas, sed per viros Genealogia deducitur. Et quia cognati erant Virgo et JOSEPH, deducto genere ad JOSEPH, deducitur ad MARIAM Virginem. Hæc autem cognatio illo tempore cognita erat omnibus, qui apud Judæam Christi fidem susceperunt. Tu.

℟. Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens: * Pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata. ℣. Sicut lux auroræ, quæ manè absque nubibus rutilat.—Pulchra.—Gloria.—Quæ. *In diebus infra octav.* Pulchra.

AD LAUDES

*et per horas antiphonæ.*

1. Signum magnum * apparuit hodiè: signum salutis ortum est homini, alleluia.

*Psalmi de Dominicâ.*

2. Lux magna * resplenduit hodiè in terrâ sedentibus in umbrâ mortis, alleluia.

3. Venite, * et videamus ortum surgentis Auroræ, alleluia.

4. Lux ejus, * sicut lux solis, et splendor ejus sicut meridies, allel.

5. Multi in Nativitate * ejus gaudebunt, alleluia.

CAPITULUM. *Genes.* 24. 59.

Soror nostra es, crescas in mille millia, et possideat semen tuum portas inimicorum suorum.

HYMNUS 80.

Post longa noctis nubila,
Et incubantem tartarum
Jam perditis mortalibus
Aurora vultus explicat.

Frondens Jessæa protulit
Jam virga divinum caput:
Jam læta præludit poli
Claro decore fulgida.

Jam tempus optatum venit,
Quo flore pingatur suo:
Flos ille campi Christus est,
Quem Nata natum proferet.

MARIA terris nascitur,
Illustre munus optimi,
Quâ nulla terras purior
Ortu sacravit prospero.

Natura reginam colit,
Et festa ducit gaudia:
Tantisque sub cunis tremunt
Metu paventes inferi.

Adorat orbis subditus
Matrem futuram Numinis,
Parvoque sub crepusculo
Prælibat affatum Dei.

O ter beata Numine,
Cui tota rident ætera,
Cui tota se felicitas
Infudit alto vertice.

Specta clientes supplices,
Audi precantes servulos,
Fac de tuis cunabulis
Hic lætus aspiret dies.

Sit laus Patri, laus Filio,
Sit par tibi laus, Spiritus,
Puram Deo, qui Virginem
Formans ab ortu præparas. Am.

℣. Hortus conclussus, Virgo sacrata, alleluia.

℟. Fons signatus, alleluia.

*Ad* Benedict. *ant.* Nativitatem hodiernam * perpetuæ Virginis Genitricis Dei MARIÆ solemnitèr celebremus, quâ celsitudo throni processit, alleluia, alleluia.

Oremus. *Oratio.*

Deus qui secundum propositum voluntatis tuæ mundum tibi reconciliare voluisti; præsta, quæsumus, ut qui Nativitatem Virginis MARIÆ, de quâ natus est nobis Christus



Salvator, cum gaudio celebramus, ipsam quam Filius operatus est salutem, Matris intercessione consequamur. Per eumdem.

AD PRIMAM.

*Ant.* Signum. *Capit.* Soror. *de Laudibus.* ℣. ℟. *br.* Quæ hodiè nata fuisti. *Et dicitur per oct.*

CANON.

Ex Alexandro Papâ Tertio.
*Ep.* 32. *Ad soldan. Iconi.*

397. Cum MARIA de Jesse originem traxerit, Isaias Propheta Nativitatem MARIÆ, et per MARIAM Christi, atque plenitudinem gratiæ spiritualis in Christo declarat, dicens: Egredietur Virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Tu.

AD TERTIAM.

CAPITULUM. *Genes.* 12. 13.

Dic, obsecro te, quòd soror mea sis, ut benè sit mihi propter te, et vivat anima mea ob gratiam tui.

℟. *br.* Puella decora nimis, * Allel., allel.—Puella. ℣. Virgoque pulcherrima.—Alleluia.—Gloria.—Puella.

℣. Puella ista erit magna, allel.

℟. Coram Domino. Alleluia.

AD SEXTAM.

CAPITULUM. *Can.* 4. 11.

Favus distillans labia tua, mel et lac sub linguâ tuâ, et odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.

℟. *br.* Puella ista erit magna, * Allel. Allel.—Puella. ℣. Coram Domino.—Allel.—Gloria.—Puella.

℣. Peperit Anna Filiam, allel.

℟. Et vocavit nomen ejus MARIAM, alleluia.

AD NONAM.

CAPITULUM. *Cant.* 2. 7.

Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donèc ipsa velit.

℟. *br.* Peperit Anna Filiam, * Alleluia, allelnia.—Peperit. ℣. Et vocavit nomen ejus MARIAM,—Allel.—Gloria.—Peperit.

℣. Pro puellâ istâ oravi, allel.

℟. Et dedit mihi Dominus petitionem meam, allel.

IN II. VESPER.

*Ant.* 1. Impletum est * tempus pariendi, et peperit Anna puellam formosissimam.

*Psalmi ut in* 2. *Vesper. Solemnit.*

2. Et mirati sunt omnes, * et gratulabantur ei propter gaudium.

3. Dominus mortificat, * et vivificat: deducit ad inferos et reducit.

4. Quæ putas puella ista erit, * nam manus Dei cum ipsâ est?

5. Benedicta tu, * filia, à Domino, quia per te fructum vitæ communicavimus.

CAPITULUM. *Gen.* 14. 60.

Soror nostra es, crescas in mille millia, et possideat semen tuum portas inimicorum suorum.

℟. Quæ est ista, quæ progreditur, quasi Aurora consurgens: * Pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata. ℣. Sicut lux auroræ, quæ manè absque nubibus rutilat.—Pulchra.—Gloria.—Quæ. *Infra oct. non dicitur.*

HYMNUS 81. *Parn. Mar.*

Lux ecce surgit nova,
Novumque profert gaudium:
Fugata nox cessat vetus,
Cessat vetus corruptio.

Chorus triumphat cœlitum,
Antiquus invidet Draco,
Dum sente prodit lilium,
Dum spina rosam germinat.

In nube lux involvitur,
Cinnisque gemmam contegit;

Dum gentis hebrææ sinu
Ortum MARIÆ suscipit.
Summi Parentis Filius
Hoc sibi extruxit templum,
Suâ quod almus Spiritus
Dicât sacratque gratiâ.
O flos, MARIA, Virginum,
Ut mente simus integri,
Tuæ præcamur gratiâ
Nativitatis obtine.
Sit laus Patri, laus Filio,
Sit par tibi laus, Spiritus,
Puram Deo qui Virginem
Formans ab ortu præparas.
Amen.

℣. Nativitas est hodiè Sanctæ MARIÆ Virginis.

℟. Cujus vita inclita cunctas illustrat Ecclesias.

*Ad Magnific. ant.* Nativitas tua,* Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo : ex te enim ortus est Sol justitiæ Christus Deus noster, qui solvens maledictionem dedit benedictionem, et confundens mortem donavit nobis vitam sempiternam.

*Completor de Dominicâ.*

*In diebus infra Octav. in festis Officium fit ut in die, exceptis Psalmis et Lectionib. primi Nocturni, qui dicuntur de feriâ occurrenti.*

DOM. INFRA OCTAV. NATIVIT.

## SS. NOMINIS B. MARIÆ V.

*Duplex 2. Classis.*

IN I. VESPER.

*Ant.* 1. A solis ortu usque ad occasum laudabile Nomen MARIÆ Matris Dei. *Psalmi de Solemn. in I. Vesp.*

2. Missus est Angelus Gabriel ad Virginem desponsatam JOSEPH, et nomen Virginis MARIA.

3. Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

4. Magnificetur Nomen tuum, Domina, in æternum.

5. Laudetur nomen inclytum MARIÆ omni tempore.

CAPITULUM. *Jud.* 13. 23.

Benedicta es tu, Filia à Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram: quia hodiè Nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum.

HYMNUS ñ2.

Si quæris cœlum, anima,
MARIÆ Nomen invoca:
MARIAM invocantibus
Cœlestis patet janua.
Ad MARIÆ Nomen cœlites
Lætantur: tremunt inferi:
Terra, pontus, et ætera
Totusque mundus jubilat.
Culpæ fugantur tenebræ,
Morbi, dolores, ulcera;
Vinctis solvuntur compedes;
Nautis mitescunt æquora.
Gloria MARIÆ Filiæ
Patris, et Matri geniti,
Sponsæquæ Sancti Spiritûs
Per sæculorum sæcula. Amen.

℣. Sit Nomen MARIÆ benedictum.

℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

*Ad Magnif. ant.* MARIÆ Nomen cunctas illustrat Ecclesias, quia fecit ipsi magna qui potens est, et sanctum Nomen ejus.

*Oratio de Laudib. Compl. de Dom.*

AD MATUT.

*Invitat.* Laudemus Deum nostrum * In veneratione Sanctissimi Nominis MARIÆ.

HYMNUS 83. *S. Anselm.*

O MARIA, Nomen bonum,
Nomen admirabile,
Balsamum aromatizans,
Thus miræ fragrantiæ:
O Nomen quòd melius est
Quàm multæ divitiæ.
O MARIA, Nomen bonum,
Canticum lætitiæ,



Flos æternus, rosa lenis,
Candida et suavis:
Prædicanda et laudanda
Privatim et publicè.
O MARIA, Nomen bonum,
Lignum semper viride,
Stella solis claritatem
Suo vincens jubare:
Semper Mater, quia nunquàm
Eris sine sobole.
Sempiterna sit beatæ
Trinitati gloria;
Æqua Patri Filioque,
Par decus Paraclito:
Unius Trinique Nomen
Laudet universitas. Amen.

IN I. NOCT.

*Ant.* 1. In universâ terrâ admirabile est Nomen tuum, Sancta Dei Genitrix.

*Psalm.* 1. Beatus vir. *p.* 1.

2. In omnem terram diffusa est gloria Nominis MARIÆ Matris Dei.

*Palm.* 5. Verba mea. *p.* 3.

3. Annuntiaverunt cœli Nomen MARIÆ, et viderunt omnes populi gloriam ejus.

*Psalm.* 10. In Domina. *p.* 4.

℣. Magnificate MARIAM mecum.

℟. Et exaltemus nomen ejus in æternum.

De libro Exodi.

LECTIO 1. *c.* 15. 20.

Sumpsit Maria prophetissa Soror Aaron tympanum in manu suâ: egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis et choris, quibus præcinebat dicens: Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est, equum et ascensorem ejus dejecit in mare. Tu.

℟. Laudemus nomen sacrum, atque insigne MARIÆ: * Mundo enim peperit Virgo salutis auctorem. ℣. Lætentur cœli de tali nomine, et orbis.—Mundo.

LECTIO 2.

Tulit autem Moyses Israel de mari rubro, et egressi sunt in desertum Sur: ambulaveruntque tribus diebus per solitudinem, et non inveniebant aquam. Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eò quod essent amaræ, undè et congruum loco nomen imposuit, vocans illum Mara, idest, amaritudinem. Tu.

℟. Benedictum sit Nomen MARIÆ: * Cujus manus tornatiles plenæ hyacinthis.

℣. Implorantibus MARIÆ Nomen MARIA præsto adest.—Cujus.

LECTIO 3.

Et murmuravit populus contra Moysen, dicens: Quid bibemus? At ille clamavit ad Dominum, qui ostendit ei lignum: quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt. Ibi constituit ei præcepta atque judicia, et ibi tentavit eum. Tu.

℟. Salutemus MARIAM, pro nobis Filium exorantem; * Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

℣. Hæc est Gedeonis vellus, quæ levissimâ orationis compressione larga exhibet gratiarum stillicidia. —Ave.—Gloria.—Salutemus.

IN II. NOCT.

*Ant.* 1. MARIA, civitas Dei sancta, gloriosa dicta sunt de Nomine Sancto tuo.

*Psalm.* 20. Domina in virtute. *p.* 20.

2. Secundum Nomen tuum, sic et laus tua in fines terræ.

*Ps.* 93. Deus ultionum. *p.* 41.

3. Novi te ex nomine; oleum effusum Nomen tuum.

*Psalm.* 104. Confitemini. *p.* 43.

℣. Repleatur os meum laude tuâ.

℟. Ut cantem gloriam Nomini tuo.

Sermo S. Epiphanii Episcopi.
*De laud. B. V. M.*

LECTIO 4.

Beata Anna gravida effecta, cœlum et thronum cherubicum peperit, sanctam puellam MARIAM. Illa enim reperitur esse cœlum, templum, et thronus: quia MARIAM interpretari solemus Dominam, atque etiàm spem. Peperit enim Dominum, qui est spes totius mundi, nempe Christum. Rursùm Nomen illud MARIA interpretatur myrrha maris: myrrham verò dicet aliquis (quod etiàm ego ajo) de immortalitate, eo quod paritura esset gemmam immortalem in mari, hoc est in mundo. Mare autem dicet universum mundum, cui Virgo serenitatem, et tranquillitatem contulit, dum portum peperit Christum. Tu.

℟. Benedictum Nomen MARIÆ, * Sanctum et laudabile, et super exaltatum in sæcula.

℣. MARIA in ore mel, in aure mellos, in corde jubilus.–Sanctum.

LECTIO 5.

Rursùm itaque præclaræ puellæ MARIÆ beatum Nomen interpretatur illustrata, utpote quæ illustrata sit à Filio Dei, et cunctos usque ad terminos terræ credentes illuminaverit. Sancta enim puella MARIA est Sponsa Trinitatis, et thesaurus dispensationis planè arcanus, cui Gabriel inquit: ave gratiâ plena, Dominus tecum. Subjunxit Gabriel: et Pater misit arrhabonem de cœlo Spiritum Sanctum, præparavit Virginem unigenito Filio, cœlesti Sponso, quam Pater dilexit, Filius inhabitavit, Spiritus Sanctus percupivit. Tu.

℟. Melior est Nomen bonum, quàm multæ divitiæ: Turris fortitudinis MARIÆ Nomen.

℣. Propugnaculum est omnibus, qui ad illud confugiunt.—Turris.

LECTIO 6.
*Ex Brev. Romano.*

Venerabile ergò Nomen Virginis MARIÆ jam pridem in quibusdam Christiani orbis speciali ritu cultum, Innocentius Undecimus Romanus Pontifex ob insignem victoriam sub ejusdem Virginis MARIÆ præsidio de immanissimo Turcarum Tyranno cervicibus populi christiani insultante Viennæ in Austriâ partam, et in perenne tanti beneficii monumentum, in Ecclesiâ universali singulis annis Dominicâ infra octavam Nativitatis Beatæ Virginis MARIÆ celebrari præcepit. Tu.

℟. Oleum effusum Nomen tuum: * Ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis. ℣. Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.—Ideo.—Gloria.—Oleum.

IN III. NOCT.

*Ant.* 1. Nuntiate inter gentes gloriam Nominis MARIÆ, in omnibus populis mirabilia ejus.
*Ps.* 125. In convertendo. *p.* 47.
2. Omnes populi viderunt gloriam Nominis MARIÆ Matris Dei.
*Ps.* 132. Ecce quam. *p.* 49.
3. In conspectu gentium revelavit Dominus gloriam Nominis ejus.
*Ps.* 114. Dilexi Matrem. *p.* 45.
℣. Lætabor et exultabo in te
℟. Psalmum dicam Nomini tuo.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 1. *c.* 1. 26.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat JOSEPH, de domo David, et Nomen Virginis MARIA. Et reliqua.



Homilia S. Bernardi Abbatis.
*Homil. 2. super Missus.*

Loquamur pauca et super hoc Nomine, quod interpretatum maris stella dicitur, et Matri Virgini valdè convenientèr aptatur. Ipsa namque aptissimè syderi comparatur, quia sicut sine sui corruptione sydus suum emittit radium, sic absque sui læsione Virgo parturit filium. Nec syderi radius suam minuit claritatem, nec Virgini Filius suam integritatem. Ipsa est igitur nobilis illa stella ex Jacob orta, cujus radius universum orbem illuminat, cujus splendor, et præfulget in supernis, et inferos penetrat, terras etiàm perlustrans et calefaciens magis mentem, quàm corpora, fovet virtutes, exquoquit vitia. Tu.

℟. Clarissimum MARIÆ Nomen ipsum est stella præfulgens: * Peccatores illuminat, et dirigit ad portum salutis. ℣. Consolatur tristes, miseros levat, et jacentes erigit.—Peccatores.

*Bened.* 8. Cujus Sanctissimum Nomen colimus.

LECTIO 8.

Ipsa, inquam, est præclara et eximia stella, super hoc mare magnum et spaciosum sublimata, micans meritis, illustrans exemplis. O* quisquis te intelligis in hujus sæculi profluvio magis inter procellas et tempestates fluctuare, quàm per terram ambulare, ne avertas oculos à fulgore hujus syderis, si nonvis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca MARIAM. Si jactaris superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, respice stellam, voca MARIAM. Tu.

℟. Date Nomini MARIÆ magnificentiam: * glorificate Nomen ejus, quoniàm sanctum est. ℣. Nomen tuum, Domina, in desiderio animæ meæ.—Glorificate.—Gloria.—Date.

LECTIO 9.

In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, MARIAM cogita, MARIAM invoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde: et, ut impetres ejus orationis suffragium non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens, non devias: Ipsam rogans, non desperas; Ipsam cogitans, non erras: Ipsâ tenente, non corruis; ipsâ protegente, non metuis; ipsâ duce, non fatigaris: Ipsa propitiâ, pervenis: et sic in temetipso experiris, quàm meritò dictum sit: Et nomen Virginis MARIA. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES
*et per Horas antiphonæ.*

1. Dignitas MARIÆ * annuntiatur ex Nomine. *Psalmi de Dominicâ.*
2. Laudate * in exultatione MARIÆ Nomen, quoniàm suave est.
3. Dulce Nomen * MARIÆ super mel ori meo.
4. Benedicite Nomen MARIÆ Matris Dei, et invocate illud sempèr.
5. Beneplacitum est * Domino in nomine MARIÆ, in quo exaltavit mansuetos in salutem.

CAPITULUM. *Jud.* 13. 23.

Benedicta es tu, Filia, à Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram: quia hodiè Nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum.

HIMNUS 84. *Parn. virg.*

Gloriosa Dei Matris
Nominis præconia
Exaltemus super sydera
Totis nostris viribus,
Ad salutem nobis datum
Divinâ clementiâ.
Nomen sempèr meditandum

In valle miseriæ:
Nomen dignè venerandum
Supernorum curiæ:
Nomen mirè formidandum
Effugans dæmonia.
Nomen istud prædicatum
Mellos est auditui:
Nomen istud invocatum
Dulce mel est gustui:
Jubilus est cogitatum
Spirituali visui.
Nomen ergò tam beatum
Veneremur cernui:
Sit in corde sic firmatum
Quòd non possit erui,
Ut in cœlis potestatum
Copulemur cœtui.
Sempiterna sit beatæ
Trinitati gloria,
Æqua Patri Filioque
Par decus Paraclito:
Unius Trinique Nomen
Laudet universitas. Amen.

℣. Lætabor in Virgine MARIA, alleluia.

℟. Psalmum dicam Nomini ejus, alleluia.

*Ad* Benedict. *ant.* Benedictum Nomen tuum, MARIA Virgo, per quod illuminavit Deus tenebras sedentium in umbrâ mortis.

Oremus. *Oratio.*

Deus, qui gloriosam Matrem tuam nominari MARIAM voluisti; concede, quæsumus, ut qui dulce ejusdem MARIÆ nomen imploramus, perpetuum sentiamus tuæ benedictionis effectum. Qui vivis et regnas.

AD PRIMAM.

*Ant.* Dignitas. *Capitul.* Benedicta. *de Laudib.*

℣. ℟. *br.* Quæ MARIA à Deo nominata fuisti.

CANON.

Ex Decreto S. Rituum Congregat. 23. *Jun.* 1736. *in* Einsidlen. *Talu.* 1028.

398. Festùm Sanctissimi Nominis MARIÆ celelebrandum est Dominicâ infra Octavam Nativitatis ejusdem. Tu.

AD TERTIAM.

CAPITULUM.

Egressum est Nomen tuum in gentes propter speciem tuam: quia perfecta eras in decore meo, quem possueram super te: Dicit Dominus Deus.

℟. *br.* Magnificate * MARIAM mecum.—Magnificate. ℣. Et exaltemus Nomen ejus in æternum.—MARIAM.—Gloria.—Magnificate.

℣. Repleatur os meum laude tuâ.

℟. Ut cantem gloriam Nomini tuo.

AD SEXTAM.

CAPITULUM. *Bar.* 5. 3.

Deus ostendet splendorem suum in te omni qui sub cœlo est: nominabitur enim Nomen tuum à Deo in sempiternum.

℟. *br.* Repleatur os meum * Laude tuâ.—Repleatur. ℣. Ut cantem gloriam Nomini tuo:—Laude.—Gloria.—Repleatur.

℣. Lætabor et exultabo in te.

℟. Psalmum dicam Nomini tuo.

AD NONAM.

CAPITULUM. *Isai.* 62. 2.

Vocabitur tibi Nomennovum, quod os Domini nominabit, et eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui.

℟. *br.* Lætabor * et exultabo in te.—Lætabor. ℣. Psalmum dicam Nomini tuo.—Et exult.—Gloria.—Lætabor.

℣. Sit Nomen MARIÆ benedictum.

℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

IN II. VESP.

*Ant.* 1. In omni ore quasi mel



indulcorabitur memoria Nominis ejus. *Psalm. ut in 2. Vesp. Sol.*

2. O quam excellens et sublime est hoc Nomen gloriosissimum MARIA!

3. Tunec nominari potes, quin accendas, nec cogitari, quin recrees affectum diligentium te.

4. In ore mel, in aure mellos, in corde jubilus Nomen dulcissimum MARIÆ.

5. Ipsum invoca, ipsum genibus flexis inclama, ipsum exora ut MARIA sit tibi MARIA.

*Capit. de Laudib.*

HYMNUS 85. *Apud Marrac.*

MARIÆ sceptro floret clementia,
Quo et rogante lenit judicia,
Puniendis dat gratis gaudia,
Et dum jubet silet clementia.
Piam Matrem te rei sentiunt:
Se labentes in te reficiunt:
Te dolentes ardentèr sitiunt,
Et amantes ad cœlum saliunt
Nomen tuum saginat viscera,
Et expressum pigmentat aera,
Cor confortat, et fugat funera,
Umbras delet et donat sydera.
Ense sacro vibrati Nominis,
Cedunt hostes vi fracti fulminis
Plùs trementes ad Nomen Virginis
Quàm favillæ fragore turbinis.
Dulce Nomen velis dulcescere,
Et his, rogo, labris illabere,
Ut te sciam securus legere,
Cum cor coget mors ingemescere.
Amen.

℣. Annuntiaverunt cœli Nomen MARIÆ.

℟ Et viderunt omnes populi gloriam ejus.

*Ad* Magnif. *ant.* MARIA Virgo omnium oculis gratiosa: nominatum est Nomen gloriæ ejus usque ad extremum terræ.

*Oratio de Laudibus.*

DIE IX. SEPT.

# DE II. DIE INFRA OCTAV.

*Semiduplex.*

*Lect.* 1. *Noct. de Feriâ.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Thomæ Arch. Valentini. *Conc.* 2. *in Nativ. B. M. V.*

LECTIO 4.

O Virgo, in tuo Natali mundum illuminasti, cœlos lætificasti, infernum exteruisti, lapsos sublevasti, infirmos et tristes in salutem et lætitiam erexisti. Dicito, obsecro, ò Astrologi sapientes, qui cœlestia contemplamini: Dicite nobis, ò prophetæ, quænam puella ista erit, quæ talis et tam clara prodit in orbem? Annuntiate nobis ejus Nativitatem. Tu. ℟. Ne timeas.

LECTIO 5.

O propheta regalis! Dicito, quid tibi videtur de hâc tuâ filiâ? Quænam puella ista erit? Erit, inquit, firmamentum in terrâ, superextolletur super libanum fructus ejus, et florebunt, scilicet ejus meritis ditabitur Ecclesia, sicut fœnum terræ. Dic quoquè tu, Isaias, quid sentis de hâc Virgine? Qualis erit ista Virgo? Super omnem, inquit, gloriam protectio. Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem, et absconsionem à turbine, et à pluviâ. Id est, justorum erit custodia, et peccatorum suffugium. Tu. ℟. Fundatur.

LECTIO 6.

Ita est, ò Virgo, in omnibus tempestatibus, et pluviis, et adversitatibus, si pestis, si bellum, si fames, si tribulatio, omnes ad te currimus. Tu nostra protectio, tu nostrum unicum remedium subsidium et asillum. Sicut pulli volatibus desupèr milvi ad gallinæ alas accurrunt, ita nos sub velamento alarum tuarum abscondimur. Ne-

simus aliud refugium, nisi tu. Tu sola es unica spes nostra, in quâ confidimus. Tu sola patrona nostra, ad quam omnes aspicimus. Tu. ℟. Fundamenta.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 1. 7.

Liber generationis JESU-Christi, Filii David, filii Abraham. Et relq.

Homilia S. Antonini Ep. Florentini.

*De Nativ. B. V. c.* 5. 9. 2.

Notandum quòd beata MARIA est liber generationis habens in se quadruplicem generationem. Prima est naturalis, quâ, ut Mater vera, ex suis sanguinibus purissimis genuit Christum Filium suum. Secunda est spiritualis, quâ, ut Mater spiritualis, genuit Joannem Baptistam modo speciali, non solùm levans eum de terrâ sed etiàm et magis quandò ut de sacro fonte Spiritu Sancto et aquâ gratiæ baptizatus est Joannes in utero, sanctificatus ad vocem Virginis, quandò salutavit Elizabeth. Tu. ℟. Vitis.

LECTIO 8.

Tertia est adoptiva, quandò moriente Flio Imperator ipse in throno crucis manens rescripto suo et edicto adoptavit sibi Joannem Evangelistam in filium, dicens: Ecce filius tuus, et ecce Mater tua. Quarta generatio sua est generalis, et educativa, quâ, scilicet bonos generat, ut pia Mater, et nutrit meritis et exemplis. Ego Mater pulchræ dilectionis, et sanctæ spei. Tu.

℟. Quæ est ista.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Syracusanæ à Miraculis. *Octav. Cajet. in appendice ad SS. Siculos.*

Templum est Syracusis in Siciliâ beatæ Virgini sub titulo à Miraculis dicatum, quod à Syracusano populo, magnâ grassante pestilentiâ, constructum est anno millesimo quingentesimo, quo tempore eo in loco, ubi nunc templum, horreum fuit, ad cujus latus Imago Deiparæ in pariete depicta erat. Cum gravis igitur pestis urbem premeret, quàm plurimi ad eam Imaginem magnâ fide accedentes liberati sunt à pestiferâ contagione. Quapropter omnes commoti tantis beneficiis, collectâ pecuniâ Templum erectum fuit, quod à miraculorum multitudine nomen à miraculis accepit. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Bonaventuâ Episcopo. *Spec. B. V. Lect.* 2.

399. Apostulus ait: omnes nascimur filii iræ: O quàm immunis ab isto væ nascentium fuit sanctissima Nativitas MARIÆ, quæ non solùm ab originali culpâ, sed etiàm à fomitis miseriâ, in quantum ad peccatum ductivus erat, sic liberata creditur per sanctificationem in utero, ut nunquàm ad peccatum inclinata fuerit in hoc mundo. Tu.

*Vesperæ dicuntur in dieb. infra Octav. ut in 2. Vesper. Nativitatis cum psalm. de feriâ.*

DIE X. SEPT.

## B. M. V. DE MONTE-SERRATO.

*Duplex.*

*Omnia ut in die Nativitat. præter sequentia.*

*Oratio.*

Humilitatem nostram, quæsumus Domine, propitius respice; ut qui beatissimam Virginem MARIAM in Monte-Serrato colimus, ad perfectionis montem ascendere valeamus. Per Dominum.

*Lectiones* 1. *Noct. feriâ.*



IN II. NOCT.

LECTIO 4.

*Ex Historiâ Montis-Serrati.*

Ex antiquâ traditione fertur eamdem Deiparæ percelebrem Imaginem, quæ hodiè in Montis-Serrati templo colitur, tempore quo Hispania sub Romanorum et Gothorum jugo tenebatur, Barcinonis in veneratione fuisse usque ad Sarracenorum invassionem, quandò, ne in horum prædam veniret, in profundâ prædicti Montis concavitate fuit abscondita. Posteà autem versus noni-sæculi finem per cœleste lumen singulis sabbatis de cœlo in eum locum delapsum, quibusdam Infantulis nocte super greges custodiam agentibus revelata fuit; quo prodigio cognito ab Episcopo Manresæ, una cum clero, et populo illùc se contulit, ut per se ipsum veritatem exploraret. Tu. ℟. Ne timeas.

LECTIO 5.

Devotissima Beatæ Virginis Imago inventa fuit in quedam inacessibili specu, nimiâ fragrantiâ perfusso, tota ingenti lumine fulgens, omninòque inoffensa. Deindè in eum situm, in quo nunc est cœnobium fuit deducta, ubi et sacellum ipsi struxerunt. Comes autem Barcinonensis ad majorem Deiparæ obsequium monasterium Virginum ibi fundavit. Sed comes Borelius unum post ferè sæculum, ad Sancti Petri puellarum monialibus revocatis, undè et assumptæ fuerant, ad Montem Serratum è Ripu-viliensi Abbatiâ Benedictinos Monachos, maximis privilegiis, ingentibus que donis eis collatis, accersivit. Tu. ℟. Fundatur.

LECTIO 6.

Ab ipso igitur inventionis tempore maximus sempèr fuit cultus eo in monte Deiparæ tributus. Undequaquè ad eam confluebant peregrini, ex iisque plurimi erant reges ac remotarum provintiarum principes. Illic perennis laus Divæ Virgini deferebatur tùm per monachos, tùm per Heremitas, tum per conversos frates, tùm quoquè per infantulos ipsi oblatos, qui omnes velut quator communitates distinctas efformantes, alternatim singuli suo in tempore illam collaudabant. Hujus Templi opes olim erant ingentissimæ, sed Galli milites initio hujus sæculi à fundamentis igne et ferro omnia vastarunt. Nunc verò antiquo cultui iterùm restitutum cum Imaginis repositione, non exiguus fit ad Virginem eo loco invisendam peregrinorum accursus. Tu.

℟. Fundamenta.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 5. 1.

In illo tempore: Videns JESUS turbis ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Et reliqua.

Homilia S. Thomæ Arch. Valentini.

*Concion.* 3. *in Dom.* 3. *advent.*

Quandò aliquis perditus est in deserto, remedium unicum est, ascendere in montem altum, et altâ voce clamare, et vocare, si fortè vocem ejus quis audiat. Sed quis altior mons quâm Virgo MARIA? Hæc supra verticem montium, id est Angelorum exaltata est, dicente Prophetâ: Et erit in novissimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium (*Lectio* 8). Hic mons de quo dicitur per prophetam: Emitte, Domine, agnum Dominatorem terræ de petrâ deserti, id est, de sinu Paterno, ad mon–

lem Filiæ Sion, id est, ad Virginem. Mons certè coagulatus, multiplici gratiâ, mons pinguis, mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. Tu.

℟. Vitis.

LECTIO 8.

Quid ergò Virgo sacrata...? Memento quoniàm scriptum est: et erit in die illâ stillabunt montes dulcedinem, colles fluent lacte, et per omnes rivos Juda ibunt aquæ, et fons de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum. De te igitur monte pinguissimo stillet afflictis dulcedo misericordiæ, postulantibus lac gratiæ, peccatorum oculis decurrant rivium lacrymarum aquæ. Tu. ℟. Quæ est.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Coloniensis ad Indulgentias. *Gumpenb. Imag.* 285.

Coloniæ in colliculo non procùl à templo Sanctæ Ursulæ situm est templum Beatæ Virginis ad indulgentias, cujus initia tribuuntur cuidam nobili viro, qui cum Jerosolymam peregrinus viseret, in viâ conjectus est in vincula, ubi invocatam meruit videre Deiparam, et ab eâ vinculis exui. Cum autem ille ad hoc sacellum velut votivum donum afferret, vidit ibidèm Virginis imaginem eâ quâ apparuit in carcere formâ in pariete impressâ, quam non humanâ, sed ipsius Virginis manu elaboratam Colonienses credunt. Tu. Te Matrem.

*Ad* Benedict. *ant.* Ave MARIA, Serrati-Montis incola, Decus Hesperiæ, Barcinonis gloria, ostium pacis, porta sacrorum liminum, perquam transeunt ad vitam Dei famuli.

*Orat ut supr.*

CANON.

Ex Alejandro Papâ Septimo. *Const.* 34. Expone nobis. §. 2. *an.* 1655. *Tom. VI. part.* 4. *p.* 44.

400. Privilegia et gratias Monasterio Beatæ Virginis MARIÆ de Monte-Serrato, et Confraternitati sub invocatione ejusdem Beatæ MARIÆ Virginis in eo canonicè institutæ à diversis Romanis Pontificibus concessa... apostolicâ auctoritate tenore præsentium approbamus et confirmamus. Tu.

*Vesper. ut in 2. Vesp. Nativ. Orat. ut in Laudib.*

DIE XI SEPT.

# DE IV. DIE INFRA OCTAV.

*Semiduplex.*

*Lection* 1. *Noct. de feriâ.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardi Abbatis. *Homilia 2. super Missus.*

LECTIO 4.

Lætare pater Adam, sed magis tu ô Eva mater exulta: qui sicut omnium parentes, ita omnium fuistis peremptores: et quod infelicius priùs peremptores, quàm parentes. Ambo, inquam, consolamini super filiâ et tali filiâ, sed illa ampliùs de quâ malum ortum est priùs, cujus opprobium in omnes pertransiit mulieres. Instat namque tempus, quo jam tollatur opprobium, nec habeat vir quid causetur adversus feminam: qui utique dum se impudentèr excusare conaretur, crudelitèr illam accusare non cunctatus est dicens: Mulier, quàm dedisti mihi, dedit mihi de ligno et comedi. Tu. ℟. Ne timeas.

LECTIO 5.

Propterea curre Eva ad MARIAM, curre mater ad filiam: filia pro matre respondeat, ipsa matris opprobium auferat: ipsa patri pro matre satisfaciat: quia ecce si vir cecidit per feminam, jam non erigitur nisi per feminam. Quid dicebas, ô Adan? Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno et comedi. Verba malitiæ sunt hæc, quibus magis augeas, quàm deleas culpam. Verum tamen sapientia vincit malitiam, cum occasionem veniæ, quam à te Deus interrogando elicere tentavit, sed non potuit, in thesauro indeficientis suæ pietatis invenit. Tu. ℟. Fundatur.



LECTIO 6.

Redditur nempè femina pro feminâ prudens pro fatuâ, humilis pro superbâ quæ pro ligno mortis gustum tibi porrigat vitæ, et pro venenoso cibo illo amaritudinis dulcedinem pariat fructûs æterni. Muta ergò iniquæ excusationis verbum in vocem gratiarum actionis, et dic: Domine, mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, et comedi: et dulce factum est super mel ori meo, quia in ipso vivificasti me. Tu. ℟. Fund.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 1. 1.

Liber generationis JESU-Christi, filii David, filii Abraham. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi. *Hom. 2. in Matthæum.*

Non erat mos apud Hebreos generationum catalogum per feminas texere. Ut ergò et morem custodiret, neve in ipso statim principio videretur antiqua destruere, et nobis Virginem certius indicaret: parentes ejus reticens atque majores, de JOSEPH generatione non tacuit. Tu. ℟. Vitis.

LECTIO 8.

Sive enim hæc fecisset in Virgine, novitatis non effugisset invidiam: sive JOSEPH reticuisset, non agnosceremus ex quâ tribu Virgo subsisteret. Ut ergò et nos discerneremus, quæ esset MARIA, vel undè, et consuetudo legis permaneret immobilis, generationum catalogum usque ad sponsum ejus perduxit, ac de domo illum David esse monstravit. Tu. ℟. Quæ est.

LECTIO 9.

Commemoratio S. MARIÆ Ravenosæ.

*Octav. Cajet. ad Sanct. Siculos.*

Quo tempore Comes Rogerius Siciliam à Sarracenorum jugo eripere conabatur, id traditur evenisse anno millesimo octogesimo, quod pictum adhuc visitur in templo Sanctæ MARIÆ Ravenosæ. Cum urbem Sarracenam acritèr Rogerius oppugnaret, præ aquarum penuriâ universus exercitus laborabat: qua propter Deiparam pius Comes enixè precatus est, ut siti vexatis copiis benigna opitularetur. Nec frustra, nam eo in loco, quo ipsa Virgo, prædixerat Rogerio, erupit aquæ fons paululùm effosâ terrâ, et totus exercitus fuit sublevatus. Posteà, capto oppido, Comes in tanti beneficii monumentum perpetuum Templum sanctissimæ Virgini erexit. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Divo Thomâ Aquinate. 3. *p. q.* 27. *art.* 1. *Sed contros.*

401. Ecclesia celebrat Nativitatem Beatæ Virginis, non autem celebratur Festum in Ecclesiâ nisi pro aliquo sancto: ergò Beata Virgo in suâ Nativitate fuit sancta. Tu.

*Vesperæ ut in 2. Vesp. Nat.*

DIE XII. SEPT.

## B. V. MARIÆ A NAZARETH.

*Duplex.*

*Non prop. ut in die Nativ. Lect. 1. Noct. de Fer.*

### IN II. NOCT.

LECTIO 3.

*Gumpenberg. Imag.* 205.

Non procùl à Pederneira urbe in Lusitaniâ à multis jam sæculis summâ religione colitur Beatæ Virginis effigies, cui nomen à Nazareth, quòd ex illa quondam urbe sæviente Iconomacorum persecutione à quodam Syriaco Monacho in Hispanim delata sit, et in cœnobio cauliano collocata. Diù honores suos accepit usque ad invasionem Hispaniæ à Mauris: tunc enim Romanus Monachus, eâ imagine assumptâ, occidentem versus iter arripuit, et Pederneiram pervenit, ubi in Seano monte, excitato sacello, eam abscondidit. Tu. ℟. Ne timeas.

LECTIO 5.

Latuit Sanctæ Deiparæ effigies usque ad Alphonsi primi tempora, quo regnante in Lusitaniâ, Fuasius Roupinus Virginis sacellum squalore obsitum, et sylvis circum horrentibus absconditum invenit, dum cervos per avia, deviaque persequeretur. Tunc, eo jubente, sacellum purgatum est, ut apud vicinos in honoribus esset, et frequentibus peregrinis celebre crevit religio, et miris modis aucta est, postquàm Deiparæ placuit inaudito miraculo, quo ipsum Fuasium à morte liberavit, celebrare locum. Tu.

℟. Fundatur.

LECTIO 6.

Ad hujus miraculi memoriam Fuasius Roupinus sacellum extruxit priorè nobilius, quod stetit usque dum Rex Ferdinandus anno millesimo trecentesimo septuagesimo septimo justæ magnitudinis templum curaret. Hodiè adhuc augustior sanctæ sedes imginis est: quæ est è ligno nec sesqui pedem excedit, colore subfusco, facie venustissimâ, et divinam quamdam modestiam præferente: JESULUM in gremio habet. Non sine miraculo est, quod cum tot sæculis duret, integra tamen et illæsa ad hæc usque tempora perseveret. Hodiè dum miraculis claret, et peregrinantium affluxu celebris est. Tu.

℟. Fundamenta.

*Homilia* Miraris quod Nazar, *ut in Duplicib. pro temp. Prægnatian.*

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. M. de Sclavoniâ.

*Gumpenberg. Imag.* 208.

Coriglianum Calabriæ oppidum est, ad mare situm. Ibi quidam, cui Antonius nomen, vidit nocte non multis passibus à littore Virginem sedentem in throno, eamque audivit se alloquentem in hâc formâ. Ego sum Deipara de Sclavonia, et volo mihi fieri imaginem in hanc formam, ut vides, et imagini templum extrui. Profuit Calabris neglecta Antonii pietas: siquidem et iteratâ apparitione fraudum suspiciones excusæ, et Antonio plus temporis datum, quo visam imaginem meliùs memoriæ commendaret. Itaque Archiepiscopo Rassavensi re omni quàm fidelissimè narratâ, datum est principium imagini, dictante Antonio, nec multò post templo sua fundamenta jacta sunt. Tu. Te Matrem.

*Vesperæ ut in 2. Vesper Nativ.*

DIE XIII. SEPT.

## DE VI. DIE INFRA OCTAVAM.

*Semiduplex.*



*Lectio 1. Noct. de fer. Relig. ut in die Nat.*

### IN II. NOCT.

Sermo S. Joannis Damasceni.

*Oratio 1. in Nativ. B. M. V.*

LECTIO 4.

Hodiè sterilitatis portæ aperiuntur diviraque porta Virginalis procedit, ex quâ et per quam, qui est super omnia Deus in orbem terræ corporali modo est ingresurus, ut Pauli arcanorum auditoris verba usurpem. Hodiè virga de radice Jesse orta est, ex quâ mundo flos divinè subsistens ascendet. Hodiè in terrâ ex terrenâ naturâ cœlum, ille condidit, qui olim ex aquis firmamentum compegerat, et in altum extulerat. Ac sanè cœlum istud longè illo divinius est, ac stupendum magis. Nam qui solem in illo condidit, ex hoc ipse justitiæ sol oriturus est. Tu.

℟. Ne timeas.

LECTIO 5.

Hodiè porta illa ad Orientem posita extructa est, per quam Christus ingredietur, et erit clausa porta, in quâ Christus ostium ovium, cujus nomen oriens, per quem accessum ad Patrem luminis principium habuimus. Hodiè perflarunt auræ totius orbis gaudii prænuntiæ. Lætentur cœli desupèr, terraque infrà exultet, mundi mare commoveatur. In hoc enim concha gignitur, quæ cœlitùs ex divino fulgetro in utero habebit, parietque pretiosissimam margaritam Christum: ex quâ rex gloriæ carnis purpurâ vestitus, ad captivos veniens, demissionem prædicabit. Tu.

℟. Fundatur.

LECTIO 6.

Exultet natura: agna enim in lucem editur, ex quâ pastor ovem induet, ac veteris mortalitatis tunicas lacerabit. Choreas agat virginitas, quoniàm, ut loquitur Isaias, nata Virgo est, quæ habebit in utero, parietque filium, cujus nomen vocabitur Emmanuel, hoc est, Nobiscum Deus. Lætare Anna sterilis, quæ non paris: erumpe, et clama, quæ non parturis. Exulta Joachim, quoniam ex filiâ tuâ puer natus est nobis, et filius datus est nobis, es vocabitur nomen ejus, magni consilii, salutis universi mundi, angelus, Deus fortis. Tu.

℟. Fundamenta.

### IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO. 7. *c.* 1. 1.

Liber generationis JESU-Christi, filii David, filii Abraham. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

*Expos. in Lucæ Ev. libr.* 3.

Cum autem JOSEPH magis quàm MARIÆ generatio describatur, cum MARIA de Spiritu Sancto generaravit Christum, et JOSEPH à generatione Domini videatur alienus, dubitare possemus, nisi consuetudo nos instrueret scripturarum, quæ sempèr viri originem quærit. Sic enim habes: Phares fuit Judæ principis tribus. Hic generavit Hesrom, Hesrom autem genuit Aram. Tu. ℟. Vitis.

LECTIO 8.

Noli mirari, quòd JOSEPH origo descripta est. Etenim secundum carnem natus, usum debuit sequi carnis, et qui in sæculum venit, sæculi debuit more describi, maximè cum in JOSEPH origine, origo sit MARIÆ. Nam cum vir justus fuerit JOSEPH, utique ex tribu suâ accepit uxorem, nec potuit justus facere contra id, quod præscriptum est. Tu. ℟. Quæst.

LECTIO 9.

Commemoratio Sanctæ MARIÆ in Trivio.

*Spinelli Tract. in Deip.*

Sub hâc die Romæ fit dedicatio Sanctæ MARIÆ in Trivio, sic dicta à tribus præcipuis, quæ illùc coeunt viis. Dicitur etiam Sancta MARIA in synodo, ab aliquâ fortassè Synodo illic antiquitùs celebratâ. Hoc templum à Gregorio decimo tertio sacro ordini Cruciferorum assignatum est. In quâdam templi hujus pariete memorabile sanè visitur excissum in lapide monumentum pœnitentiæ ob admissum scelus peractæ à Belisario Justiniani duce. Nam cum sanctum Sylverium Pontificem in exilium misisset, facti postmodùm pœnituit, et erigendam in urbe Ecclesiam indè curavit. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex S. Bernardo Abbate.

*Epistola 174. ad Canon. Lugds.*

402. Fuit proculdubio Mater Domini ante sancta quàm nata. Nec fallit omninò sancta Ecclesia sanctum reputans ipsum Nativitatis ejus diem, et omni anno cum exultatione universæ terræ votiva celebritate suscipiens. Tu.

DIE XIV. SEPT.

## DIVA VIRGO HALLENSIS,

*Duplex.*

*Vesperæ ut in 2. Vesp. Nat. Psalm. de feriâ.*

*Lect. 1. Noct. de fer. Reliqua ut in die Nativ. Sed si transferatur officium fit de comm. pro tempor.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

*Justus Lips. in divâ Virgine Hallensi.*

Hallis in Hannoniâ tertio à Bruxellâ milliari Diva Virgo maximè colitur. Est enim templum in eo oppido, foro imminens, eleganti satis opere: cujus ala ingredientibus sinistra sacellum habet et aram, ac super aram statuam Deiparæ. Sacellum modicum est, ornatum à donariis et tabulis votivis habet, religionem à se, et nescio, quomodò ingredientes ea tangit. Concursus hùc olim et nunc, undique etiàm à longinquis locis, et quam latè propè modum christiani fines se tendunt. Tu.

℣. Quem me, quove loci esse dicam? Tene ergò divam cerno? * Te fruor, et datur ora tueri, quæ toties mihi contemplarier ardor. ℣. Pro quâ luce tot olim vovi ego vota.—Te fruor.

LECTIO 5.

In eâ Virginis statuâ observatur aliquid miri videri, quæ haud magna (bipedalis circitèr) et è puro et medicato ligno tot sæcula perseverat, immunis adhuc ab exitiali peste, et ab incendiis, quæ urbecula illa aliquoties sensit, cum illa diva et se, et templum suum omni vicino foro, et juxta ipsam ædem ardentibus defendit. Annales quoquè referunt aliquotiès oppidum illud, nec situ nec opere munitum, tentatum ab hoste, vel clam et fraudibus, vel palam et machinis, et tutelâ præsidioque ejus stetisse invictum. Tu.

℟. Sacram pronus ad aram flecto corpus, et ipsam consecro mentem. * Suscipe et tibi deditum ô admitte clientem. ℣. Quæ magni genus es Dei, cui Deus ipse imputat genus et suam inscribit sibi Matrem.—Suscipe.

LECTIO 6.

Origo autem santissimæ Imaginis, quæ illic colitur, hæc est: Sophia filia Divæ Elizabethæ Hungariæ, fertur à Matre aliquot statuas



Beatæ Virginis accepisse, exquibus tres dedit Mattildi sorori Henrici ducis mariti sui, quæ jam moritura dispartivit, et locis suis quamque assignavit. Unam Gravescendæ Hollandæ veteris oppido: alteram Halermi asservandam in sacrario Carmelitarum: tertiam deniquè hanc Hallis Hannoniæ collocari voluit. Hoc evenit anno millessimo, ducenttsimo sexagesimo septimo, quo Mattildis illa obiit. Tu.

℟. Qui verbo omnia condidit, * Is sese in gremium tuum Verbum condidit, et tuâ editus alvo est. ℣. O mirum! Stupet hæc humus, et stupet æter.—Is.—Gloria.—Is.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 11. 21.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

*In Joan. c. 2. Hom. 20. circa finem.*

Cum audieris mulierem illam dicentem: Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti: deindè Dominum respondentem: Quinimò beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud, eâ sententiâ dictum existima, non quòd Matrem negligeret, sed nihil ei utilitatis matris nomen allaturum ostenderet, nisi bonitate et fide præstaret. *Lect.* 8. Quòd si MARIÆ nihil sine virtute maternâ charitas erat profutura, longè minùs nobis patris fratris, matris, filii bonitas, nisi aliquid nostrum afferamus. Tu. ℟. Vitis.

LECTIO 8.

In nullo namque alio, nisi in solis suis ipsius virtutibus post divinam gratiam de salute cuipiam sperandum est. *Lect.* 9. Nam si id profuturum erat per se MARIÆ, profuisset etiàm Judæis, quorum consanguineus erat Christus secundum carnem, profuisset civitati, in quâ natus est, profuisset fratribus. Atqui dum fratres rerum suarum curam habuerunt, nihil eis propinquitatis nomen profuit, sed cum reliquo mundo damnati erant. Tu. ℟. Quæ est ista.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Perpinianensis de Corrego. *Camòs l. 8. c. 2.*

Perpinianense Sancti Joannis templum Sacellum Deiparæ sacrum habet sub titulo de Corrego, seu vulgaritèr de Corrachs, à loco, ubi, uti fertur, ejus Imago inventa fuit jam ante Caroli magni tempora; nam in per antiquo codice de ipso hæc verba leguntur: De novo ædificavit Ecclesiam de Corrego, vel Correvo sub invocatione Sanctæ MARIÆ... Et ibi fundavit Monasterium Monachorum nigrorum Sancti Benedicti. Quæ Ecclesia auctoritate Sergii secundi Papæ ab Archimico Abbate consecrata fuit anno octingentesimo quadragesimo quarto. Tu.

DIE XV. SEPT.

## OCTAVA NATIVITATIS B. M. V.

*Duplex majus.*

*Vesperæ ut in 1. Vesper. Nativit.*

*Oratio.*

Famulis tuis, quæsumus, Domine, cœlestis gratiæ munus impertire; ut quibus beatæ Virginis partus extitit salutis exordium, Nativitatis ejus votiva solemnitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum.